SUMMA
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ
ET
MORALIS.
PRO EXAMINE ECCLESIASTICO
A SACRO CONCILIO TRIDENTINO
ET A MULTIS SUMMIS
PONTIFICIBUS
REQUISITA.
IN GRATIAM
ORDINANDORUM CONFESSARIORUM
SUCCINCTA METHODO
CONFECTA.

Eremitarum Camald. Montis Pacis prope Cracov.



VARSAVIÆ.

TYPIS S. R. MTTIS. ANNO DNI. MDCCLXXVI.

Hæc ſunt, quæ latius (ab aliis) diſſerta, nunc brevius conſtricta ſunt, ut memoria, cui adminiculandæ iſta confecimus, prolixitatis faſtidio non obruatur.

D, VINCENTIUS LIRINEN.

Commonit: Cap: Ult:

BENEDICTA SIT SSS.

TRINITAS

FR: Hieronymus a S. Francisco Ordinis Disc: SSS. Trinitatis Red: Capt: Provinciarium, Familiæ SSS. Matris Redemptoris Commissarius Generalis.

SUmmam Doctrinæ Christianæ & Moralis quam pro utilitate Examinandorum P. Fr: Alexander a Conceptione B. V. M. Minister Pro-

vincialis Provinciæ S. Joachimi compillavit, cum ſelecti Thæologi revide-rint, & dignam prælo iudicaverint, facultatem imprimendi (ſi ita viſum fuerit ad quos de Jure ſpectat) impertimur. Datis Auguſtæ Taurinorum ex Cænobio Noſtro Die XXX. Aprilis Anno Domini 1776.

Fr: Hieronymus a S. FRANCISCO
Commiſ: Gnralis (LS)

IMPRIMATUR

Die 19. Junij 1776.
Joannes Aloyſius Vittoldus
ALEXANDROWICZ.
Epiſcopus Dardanenſis, Officialis
Generalis Varſaviens.



A D

LECTOREM.

SI de eadem materia dogmatica, & morali, quamvis idem de DEO, rebuſque Divinis recurrat diſcurſus, utiles ſemper fuêre, & ſunt bene multorum voluminoſæ Lucubrationes. Quis inter tot ſummulas Chriſtianæ & moralis Doctrinæ huc uſque pro diverſo genio compillatas, præſentem ob ſui ſuccinctum modum, facilem-

que ad rememorandum pro e-
xamine Eccleſiaſtico a Concilio
Tridentino vel maxime requiſi-
torum iudicabît inutilém? Me
quod attînet, brevitati, & clari-
tati ſtudii, ut opus redderem u-
tile; Vos qui lecturi eſtis, date o-
peram ut bona perceptione uti-
lius vobis faciatis.

ELENCHUS
MATERIARUM.



IN NOMINE S. S. S. TRINITATIS.

INTRODUCTIO

IN

DOCTRINAM CHRISTIANAM

ET

MORALEM.

QUID est necessarium homini ad consequendum ultimum finem?

R. Religio seu Fides, juxta Apostolum: *Sine Fide impossibile est placere Deo.*

Quid est Religio?

R. Est speciale vitæ genus seu donum desuper rationali creaturæ inditum ad cognoscendum DEUM sub ratione entis supereminentis omnia in ordine, ad Eum colendum omni perfectiori modo, & honore illi debito.

Objectum namque Religionis primarium est: DEUS supereminens omnibus, 1. Unus in essentia, 2. Trinus in Personis. 3. Humanitas Christi, quatenus hypostaticè unita Divinitati. *Secundarium*, omnes res Sacræ in quibus specialiter relucet ali-

quid Divinitatis, ut ſunt, Angeli, Animæ beatæ, Sacramenta, & alia, quæ doctrina veræ Religionis tradit.

Religio eſt ne una?

R. Defacto. 1. Ratione principii ſcilicet DEI vocantis. 2. Ratione Finis, nempæ vitæ æternæ. 3. Ratione capitis tum eſſentialis & inviſibilis Chriſti, tum Miniſterialis & viſibilis Romani videlicet Pontificis. 4. Ratione mediorum, id eſt, Sacramentorum, quibus ſalus obtinetur. 5. Ratione puritatis & Sanctitatis conſtantis doctrinæ fidei & morum, ut effert Apoſtol: ad Ephes. 4. *Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ, unus DEUS, una Fides, unum Baptiſma. unus Deus & Pater omnium.*

Quid dicendum de Diſſidentibus, qui conveniunt in Religione quod ad ea quæ ſalutis fundamentum imo & medium concernunt, & ſolum in iis (ut ajunt) quæ Adiophara vel hominum placita ſunt diſcrepant.

Inhumanum enim videtur eos condemnare hæreſeos, 1. Qui unum alterumve Articulum non fundamentalem. 2. Quod Epiſcopo Romano uniri. 3. Quod de novo propoſitos ab Eccleſia Articulos, reſpuant.

R. Quamvis veræ Religionis Cultores alios habent Articulos ratione medii profitendos, alios ratione præcepti tenendos, ultimos nihilominus promptiſſime & generaliter credunt, quemadmodum Eccleſia credenda proponit, quod omnes unam conſtituant fidem, & ab uno fundamento hoc eſt Eccleſia quam ipſe fundavit altiſſimus, procedant.

Diſſidentes autem præcipuo fundamento veræ Religionis, hoc eſt Regula viva & indefectibili carentes ſuo ſpiritui privato innixi, qui in ipſis diverſus eſt, ratione cujus nec in aſſignandis Articulis non fundamentalibus inter ſe convenire poſſunt. Ea quæ fidei & morum pietatem ſpirant, (quod illorum cupiditatibus non indulgent) falſo putant Fidei Adiophara & hominum placita, atque inju-

ſte conqueruntur. Plurima enim ſunt in noſtra Religione, quæ quamvis videantur duriora humanæ naturæ veriſſima tamen ſunt: 1. Reatus peccati originalis propter unum hominem. 2. Parvulorum abſque Baptiſmo damnatio. 3. Pæna vitæ æternæ iis omnibus infligenda peccatis, de quibus fit mentio ad Galatas. 4. Prædeſtinatio unius & reprobatio alterius. Numquid licet ea negare, quod duriora videantur? Religio vera ea omnia ſuſcipit, quia a Regula Fidei ſibi propoſita ſunt, et cum Pontifex Romanus ſit Caput viſibile Eccleſiæ, neceſſum eſt reliqua membra vinculo unitatis fidei, pietate morum & obedientia uniri Qui Pontifex nec ſolus, neque congregata Eccleſia aliquos de novo articulos facit, ſed ſolum ea, quæ a DEO ſunt revelata proponit ex ſcriptura & Traditionibus, aliqua magis evolutè & explicitè pro temperum diverſitate & neceſſitate aperit & explanat, quia fungitur eo officio & functa eſt per 16. ſæcula inſtruendi Fideles, ac docendi propter indefectibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti. *Et qui non audierit eam, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus* Math: 18.

Unde ſumenda eſt Doctrina veræ Religionis?

R. Ab Eccleſia DEI vivi, quæ eſt columna & fundamentum veritatis.

Quid eſt Eccleſia?

R. Eſt cætus Fidelium Baptiſatorum unius ejuſdemque fidei profeſſione, eorundem Sacramentorum communione conjunctus, tam reliquo corpori, quam ſuo capiti viſibili Romano Pontifici in terris adhærens.

Unde habet Eccleſia Doctrinam?

R. 1. A DEO, ut Authore Eccleſiæ poteſtate ſupremæ authoritatis, qui nec falli nec fallere poteſt. 2. A Chriſto, tanquam capite poteſtate excellentiæ & Miniſterii principalis in Scripturis Sacris contentam. 3. Ab Apoſtolis tanquam cauſis Miniſterialibus & inferioribus, prout gloriatur Apoſtolus ad Cor: (*Secundum gratiam quæ data eſt mihi, ut ſapiens Architectus fundamenta poſui*)

etiam in Scripturis & Traditionibus vi æ vocis oraculo conservatam, fatetur S. Basilius Lib: de Spiritu S. cap. 37. *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolica Traditione in mysterio id est in occulto tradita recipimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem* & Trident Sess: 4. de Traditione.

Dices: siquidem doctrina veræ Religionis eruitur ex scriptura & Traditionibus, quisque eam inde haurire potest absque recursu ad Ecclesiam.

R. 1. Scripturæ & Traditiones sunt Regulæ mortuæ. 2. Sunt obscuræ in quibus continentur figuratæ locutiones sensuum varietates. Hinc exponeretur periculo erroris si quis vellet privato spiritu scripturas consulere. Ecclesia vero est judex vivus & condignificatus authoritate infallibilitatis, atque ea sola sive congregata sive in capite spectata dum docet, est audienda prout S. Aug: dicebat *Evangelio non crederem, nisi me authoritas Ecclesiæ firmaret.*

Quotuplicibus Articulis complectitur doctrina veræ Religionis?

R, Duplicibus. 1. Necessariis necessitate Medii, 2. & Præcepti.

Medii. quibus invincibiliter ignoratis aut inculpabiliter non habitis salus æterna haberi nequit.

1. DEUM existere juxta illud. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te DEUM solum.*

2. DEUM esse unum in essentia trinum in personis, juxta illud: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus & hi tres unum sunt.*

3. Filium DEI incarnatum passum & mortuum, pro redemptione nostra, juxta illud: *Misit DEUS Filium suum unigenitum factum sub Lege, ut eos, qui sub lege erant redimeret.*

4. DEUM Renumeratorem juxta illud: *Et diligentibus se Remunerator sit.* ad Hebr: 11.

Præcepti: Quibus invincibiliter ignoratis ſalus æterna adhuc obtineri poteſt, eſt hoc intelligendum de rudibus infantibus, alii autem omnes in ætate ſufficiente conſtituti, & vel maxime qui munus docendi alios habent. ut Parentes, Pædagogi Spiritu-ales Perſonæ ſub gravi tenentur ſcire.

1. *Credo*. 2. *Pater*. 3. *Mandans, nec non* 4 *Eccleſia*. 5. *Septem*.

1. Symbolum Apoſtolorum.
2. Orationem Dominicam.
3. Decem DEI Præcepta.
4. Quinque Eccleſiæ Præcepta.
5. Septem Eccleſiæ Sacramenta.

Symbolum Apoſtolorum.

Eſt teſſera fidei noſtræ ſeu collectio Articulorum fidei complectens dogmata circa.

Creationem.

1. Credo in DEUM Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ. S. Petrus.

Redemptionem.

2. Et in JESUM Chriſtum Filium Ejus unicum, Dominum noſtrum. S Andreas.

3. Qui conceptus eſt de Spiritu S. natus ex MARIA Virgine S. Jacobns maj:

4. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. S. Joannes.

5. Deſcendit ad inferos tertia die reſurrexit a mortuis. S. Thomas.

6. Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis. S. Jacobus min:

7. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. S. Philippus.

Sanctificationem.

8. Credo in Spiritum Sanctum. S. Bartholomeus.

9. S. Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. S. Mathæus.
10. Remissionem peccatorum. S. Simon.
11. Carnis resurrectionem S. Judas Thadæus.
12. Et vitam æternam. S. Mathias.

Oratio.

Est rerum decentium & necessariarum a DEO petitio.

Mentalis corde & affectu expressa

Vocalis. voce prolata.

Dominica. quam Christus Apostolos docuit.

In Oratione tria attenduntur: 1. Intentio. 2. Attentio. 3. Rei postulatæ decentia.

Intentio.

Est Actus Voluntatis circa finem, prout Attentio est Actus intellectus.

Actualis. est præsens voluntatis applicatio ad opus seu talis volitio, qua aliquis actu intendit *vg:* orare, celebrare.

Virtualis. est volitio Physice præterita, manens tamen in actibus ad finem intentum ordinatis, & talis ex gr. est in Sacerdote volente celebrare Missam, dum revidet Missale, lavat manus, induit se sacris vestibus &c.

Habitualis. est volitio physice præterita neque manens tam in se quam in sua virtute, sed tamen per actum oppositum non retractata, & talis datur etiam in dormiente.

Actualis. optima, virtualis bona, sed habitualis intentio ad orationem non svadetur, quanquam aliqui dicant sufficere Intentionem etiam interpretativam.

Attentio.

Est actus intellectus reflectentis se ad id, quod facit.

Externa. Consistens in corporis compositione ab-

ſtinendo ab operibus impedientibus internam attentionem.

Interna. Eſt præſentia animi ad id quod agit.

Materialis. ad vocalem recitationem ut omnia proferantur.

Formalis. ad ſenſum verborum.

Spiritualis. ad finem Orationis, ſcilicet DEUM, & ad rem pro qua oratur.

Hæc omnia in Oratione requiruntur, ſed ultima Attentio ſufficit.

Materia Petitionis.

Primaria Deſiderium vitæ æternæ & mediorum ſcilicet Divini auxilii.

Secundaria. Res neceſſariæ in vita, tanquam media ad conſequendam vitam æternam Math: 6. *Quærite primum Regnum DEI & juſtitiam Ejus & hæc omnia adjicientur vobis* id eſt temporalia, ut obſervat S. Aug: Lib: 2. de ſer: Domini Cap: 205. *Ne cum iſta quæratis, illum avertimini, & ne duos fines conſtituatis ut & Regnum DEI propter ſe appetatis & iſta neceſſaria: ſed potius hæc propter illud: Quia duobus Dominis ſervire non poteſtis.*

Materia Petitionis eſt in Oratione Dominica, in qua juxta S. Thomam art: 9. *Non ſolum petuntur omnia quæ recte deſiderare poſſumus, ſed etiam eo ordine quo deſideranda ſunt, ut ſic hæc Oratio non ſolum inſtruat poſtulare, ſed etiam ſit informativa totius noſtri affectus. Ut aliter orare quam docuit Chriſtus* (ait S. Cyprianus) *non ignorantia ſola ſit, ſed etiam culpa.*

Septem continentur petitiones.

Pater noſter qui es in cælis. Præfationis loco.

1. *Petitione* Sanctificetur Nomen Tuum, Petitur ut ſemper ubique & ab omnibus promoveatur cognitio timor, amor, honor, & cultus Divinus.

2. *Petitione* Adveniat Regnum Tuum. Petitur 1. Regnum gratiæ quo Chriſtus regnat in viatoribus. 2. Regnum gloriæ æternæ quo animæ beatæ regnant cum Chriſto in cælo.

3. *Petitione* Fiat voluntas Tua ſicut in cælo & in terra. Petieretur ut nos profecte & integre atque conſtanter adimpleamus DEI voluntatem, eo modo quo illam adimplent Beati in Patria.

4. *Petitione* Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Petitur ut nobis dentur neceſſaria ad hodiernam ſuſtentationem vitæ, non ſoliciti de craſtino, ut quotidie ad DEUM confugiamus. Tum quoque ut Panis Euchariſticus nobis detur præſertim in hora mortis

5. *Petitione* Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Petitur ut dimittantur nobis peccata quæ vocantur debita, reos nos & debitores pænæ æternæ efficentia. Nos præterea debemus dimittere noxas proximo ſi volumus dimitti nobis.

6. *Petitione* Et ne nos inducas in tentationem. Petitur gratia, ne ſuccumbamus tentationi. Tentatio enim eſt vita hominis ſuper terram, a qua neque Chriſtus fuit liber.

7. *Petitione* Sed libera nos a malo. Petitur ut DEUS nos contra malas ſuggeſtiones dæmonis, contra malas affectiones animi & malas diſpoſitiones corporis auxilio gratiæ ſuæ ad vincendum præmuniat.

Oratio ex Chriſti promiſſione habet infallibilem impetrandi vim, ſi ſit cum

Quatuor Conditionibus.

1. Quod petantur neceſſaria & utilia ad ſalutem, ut S. Aug: *Non petitur in Nomine Salvatoris, quid quid petitur contra rationem ſalutis.*

2. Quod fiat cum firma fide obtinendi, ut habetur in Epiſt. S. Jacobi *poſtulet autem in fide nihil hæſitans.*

3. Quod fiat pro ſe ipſo. S. Aug: Tract. 102. in Joann: *Exaudiuntur omnes pro ſe ipſis, non autem pro omnibus unde non ſimpliciter dictum eſt dabit, ſed dabitur vobis.* Cum alii poſſint obicem ponere per indiſpoſitionem ſuam.

4. Quod fiat perſeveranter, ut Chriſtus Dominus Luc: *monuit: oportet ſemper orare, & non deficere.*

Quatuor impediunt ab oratione.

1. Cura pungens. 2. Culpa mordens.
3. Senſus egens. 4. Dæmon pingens.phantaſmata.

Salutatio Angelica.

1. Puncto ſalutavit MARIAM S. Gabriel.
2. Eliſabeth Spiritu S. repleta.
3. Eccleſia S. Spiritu S. gubernata.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

A DEO per Moyſen populo Israëlitico promulgatis *Exod: C. 20. Deuter C. 5.* Lumine naturæ generi humano inditis, atque a Chriſto ut pote ſupremo Legislatore innovatis magiſque prout Evangelicæ legis perfectio poſtulabat explicatis apud *Math: C. 5. & 19. tum alibi.*

Numerantur decem.

1. Uni crede DEO, quem ſolum pronus adora.
2. Illius & nomen non vane aſſumpſeris unquam.
3. Sabbatha ſanctifices.
4. Habeas in honore Parentes.
5. Non ſis occiſor.
6. Mæchus.
7. Fur.
8. Teſtis iniquus.

9. Nec alii nuptam.
10. Nec rem cupias alienam.

Ex quibus *juxta S. Aug: in, Exod:*

Tria primæ Tabulæ pertinent ad DEUM, secundæ Tabulæ septem pertinentium ad proximum, sunt partim affirmativa, partim negativa.

Primum Præceptum Ego sum Dominus DEUS Tuus, non habebis DEOS alienos coram me. *Exod: C.* 20. *ex Catech: Rom: p.* 3, *C.* 2. est partim affirmativum partim negativum, estque sensus Me verumDEUM coles, & Diis alienis cultum non adhibebis.

Præcepto hoc, *inquantum est affirmativum.* & *præcipit cultum solius veri DEI, versaturque circa Actus Religionis, ac virtutum Theologicarum, quibus immediate attingitur DEUS tanquam objectum & ultimus finis noster.*

Prohibetur.

Infidelitas tam negativa quæ est carentia fidei, quam positiva, qua contra fidem creditur.

Atheismus Nullum agnoscens DEUM.

Paganismus Falsum agnoscens DEUM.

Mahumetismus DEUM verum sed ceremoniis nunquam licitis.

Judaismus DEUM verum, ast ceremoniis licitis olim nunc autem superstitiosis.

Hæresis Error cum pertinacia *Interior* & *Mentalis, atque exterior* & *formalis* est lethale, sed posterior habet annexam Excommunicationem reservatam.

Apostasia a Fide. Quando suscepta fides deseritur.

ab Obedientia Quando præcepta contumaciter rejiciuntur.

a Religione Instituti approbati criminosa desertio.

ab Ordine Quando Clericus dimisso habitu ad statum Laicæ conversationis revertitur.

Blasphemia Enuntiativa Contumeliosa in DEUM locutio.

Imprecativa mala DEO imprecando.

Dehonestativa de DEO indecenter proferendo.

Tentatio DEI, aliquid velle experiri de Divinis perfectionibus & attributis.

Sacrilegium Irreverentia DEO facta per indignam tractationem.

Rerum Sacrarum.

Personarum Sacrarum.

Locorum Sacrorum.

Simonia. Studiosa voluntas acquirendi aliquid spirituale vel annexum pretio temporali.

Mentalis Internum desiderium acquirendi spirituale pro externè collato temporali.

Conventionalis Externa conventio de re absque tamen executione.

Confidentionalis. Seu beneficiorum: conferendo aut procurando beneficium alteri, ut sibi aut suo amico certo tempore dimittat. Quam sub gravissimis pœnis Pius V. prohibuit.

Realis. Quando pactio ex utraque parte adimpleta est. Mentalis & conventionalis est peccatum in Confessione aperiendum; sed Confidentionalis & Realis importat Excommunicationem reservatam & Provisionem ipso facto irritam.

Desperatio. seu Persvasio impossibilem sibi esse remissionem peccatorum, & gloriæ æternæ consecutionem, atque ideo omnis conatus intermissio.

Presumptio. seu spes inordinata obtinendi a DEO gratiam, & gloriam æternam, id est aliter quam DEUS obtinendam instituit, hoc est sine meritis.

Primo Præcepto inquantum prohibet colere aliud præter DEUM verum.

Prohibetur

Superstitio cultus vitiosus quo quis Divinum cultum vel illi exhibet, cui non debet vel non eo modo quo debet.

Idololatria propriè, servitus soli DEO debitus, exhibitus creaturæ.

Metaphoricè eſt omne peccatum ut ad Ephes. 5. *Avaritia vocatur idolorum ſervitus.* & S. Hier: C. 2. in Amos *Avarus aurum, guloſus ventrem, libidinoſus pedem, & Belphegor colit laſciva mulier.*

Divinatio. de aliquo occulto ope dæmonis.

Per expreſſam. dæmonis invocationem.

Haruſpicium. Reſponſa per Sacrificia.

Oraculum. per Idola & Phitones, per implicitam dæmonis invocationem.

Aſtrologia. Judiciaria ex ſtellis.

Phyſognomia. ex facie.

Metopoſcopia. ex fronte.

Chiromantia. ex manu.

Obſervatio. ſomniorum vana.

Augurium per aves.

Sortilegium per ſortes.

Omnes Divinationis ſpecies ſunt peccatum grave quanquam Phiſognomia & Chiromantia naturalis nullum pactum cum dæmone includens ſed ſolum conjecturaliter judicans, & non de eventibus a libertate humana pendentibus, libera a peccato eſt, ſicut ſomnia in materia honeſta conjecturaliter prædicentia atque ſortes diviſoriæ & ad luſum honeſtum aſſumptæ excuſant a peccato.

Vana obſervantia dum adhibentur media inutilia ad aliquid præſtandum vel impediendum. ad quod a DEO & natura nullam virtutem habent.

1. Dum adhibentur verba ignota & characteres.
2. Dum inſeruntur falſa & apocrypha.
3. Dum cauſa applicatur improportionata ad effectum.

Res autem ſacras & benedictas geſtare ad protegendum ſe a morbis, infeſtationibus Sathanæ ſeu potius ad rememorandum auxilium Divinum ſibi ad futurum Eccleſia permittit.

Magia. Naturalis ratio operandi mira per cauſas naturales incognitas imperitioribus, niſi fiat cum perverſione proximi non eſt peccatum.

Superſtitioſa & nigra ratio operandi mira ope dæmonis, ſi ſit ad nocumentum vocatur.

Maleficium per incantationes.
Veneficium. per propotitas res & ſigna.

Non licet tollere Maleficia per novas incantationes, ſed juſtum eſt eadem ipſa deſtruere, imo Confeſſarius debet injungere Malefico ut ea a ſe removeat ſine nova dæmonis invocatione, Maleficiato vero ſvadere 1. Actum fidei, ſpei, 2. Uſum S. Crucis. 3. Aquæ benedictæ. 4. Reliquiam Agnus DEI 5. Pænitentiam & Euchariſtiam. 6. Exorciſmos. 7. Invocationem Nominis JESU, MARIÆ, Sanctorum, 8. Orationem præſertim conjunctam cum jejunio.

DE SECUNDO PRÆCEPTO.

NON aſſumes Nomen Domini DEI Tui in vanum *Exod:* 20. ſimiliter eſt negativum, inquantum prohibet aſſumere Nomen Domini in vanum, ut falſo jurando aut temerè in levi materia Nomen Domini in teſtimonium adducendo, & eſt ſimul affirmativum, inquantum præcipitur, ut debitus honor Nomini Domini exhibeatur, votaque eidem nuncupata adimpleantur.

Juramentum.

Eſt invocatio Nominis Domini in teſtimonium alicujus rei Unde jurare per cælum, Evangelia, templum, fidem, conſcientiam, tum ex gr: DEUS ſcit, coram DEO loquor, verbo Sacerdotali, per honorem nobilitatis &c. ubi propriè Nomen Domini non aſſumitur in teſtimonium, (& niſi voluntas præcedens ſe voluerit tali forma obligare) non eſt propriè juramentum.

Aſſertorium. quo præſens vel præterita.
Promiſſorium. quo futura firmantur.
Execratorium. Vindicem DEUM advocans, coincidit cum blaſphemia quia contumelioſè Nomen DEI aſſumitur.

Simplex. sine solemnitate.

Solemne per certam verborum formam & attactum crucis, pectoris, Evangeliorum vel elevatione trium-digitorum sursum versus cælum.

Licitum est Christianis juramentum ubi necessitas urget nam & Apostolus non semel juravit 2. ad Cor: 1. *Testem DEUM invoco.*

Ad licitum juramentum tres conditiones prærequiruntur ex Jerem: C. 4. *Et jurabis vivit Dominus in veritate & in judicio & in justitia.*

1. Ad veritatem requiritur, ut jurans non levi conjectura, sed prudenter judicet verum, quod jurat.

2. Ad justitiam, ut fiat de re licita, quia juramentum non est vinculum iniquitatis.

3. Ad judicium, ut fiat in necessitate, & sine temeritate, Nomen DEI assumatur.

Quinque sunt causæ, ex quibus Juramentum promissorium sine periculo perjurii potest non adimpleri.

1. Quando ab initio fuit irritum. puta 1. Factum per errorem ex: gr: Jurasti dandam eleemosynam Cajo pauperi, qui revera non est, 2. de re impossibili. 3. de re illicita 4. de re indifferente,

2. Notabilis mutatio non provisa ut sponsæ Paralysis, amissio visus.

3. Condonatio seu remissio ab eo in cujus gratiam factum est Juramentum.

4. Irritatio facta ab eo qui habent potestatem dominativam, ut Parentes in Filios.

5. Commutatio & Dispensatio Sedis Apostolicæ.

In perjurio non datur parvitas materiæ, quia summa est irreverentia DEUM advocare in testimonium falsitatis, neque gravis metus infamiæ, exilii, mortis excusat a peccato.

Non licet jurare amphibologice, æquivoce & cum restrictione mentali, hac in materia quatuor propositiones ab Innocentio XI. ord: 25. 26. 27. 28. sunt damnatæ.

DE VOTO.

QUOD eſt Promiſſio deliberata & ſpontè DEO facta de meliori bono & poſſibili, cum his quinque conditionibus factum obligat tum jure Divino Pſ: 75 *Vovete & Reddite Domino DEO veſtro*, tum jure naturali, nam omnis promiſſio cadit in debitum.

Perſonale. quo promittitur actio perſonalis ex: gr: peregrinationis.

Reale. res aliqua ut eleemoſyna.

Mixtum. eſt res & actio.

Simplex. conſiſtit in nuda promiſſione.

Solemne quod ſolemniſatur per ſuſceptionem Sacri Ord: vel Profeſſionem Religioſam.

Vota Solemnia. non diſpenſantur, ſed interpretantur a principio fuiſſe irrita.

Vota ſimplicia. tam conditionata quam abſoluta ceſſant obligare.

Irritatione. a Poteſta Dominativa, ut parentes reſpectu filiorum, maritus reſpectu uxoris, & ſuperior reſpectu ſubditi.

Commutatione. per legitimam poteſtatem Eccleſiæ, atque etiam ipſe vovens privata authoritate poteſt commutare votum in aliud evidenter melius & ſuæ saluti utilius ut votum nubendi in votum ingrediendi Religionem & profitendi.

Diſpenſatione. Summi Pontificis cui quinque vota ſimplicia ſunt reſervata ad commutandum & diſpenſandum. 1. Votum perpetuæ & integræ caſtitatis. 2. Ingrediendæ Religionis. 3. Peregrinationis Romam, 4. Jeroſolimam, 5. Compoſtellam.

Verum etiam Epiſcopi cum ſuis in iiſdem quinque votis occurrente neceſſitatis cauſa, & impedimento recurſus ad Papam poteſt diſpenſare, nulla tenus vero Mendicantes.

Bene tamen Mendicantes hæc 5. vota poſſunt com-

mutare in votum Religiosæ professionis. C. de voto.

In aliis Votis simplicibus, præter hæc 5. præcedentia jure ordinario Episcopi & Regulares mendicantes, ac in Privilegiis communicantes possunt delegata potestate dispensare & commutare ut in voto.

1. *Castitatis* non perpetuæ sed ad certum tempus

2. *Castitatis* non integræ ex: gr: non fornicandi, non nubendi, non petendi debitum, servandi virginitatem quæ per unicum lapsum carnis irrecuperabiliter amittitur, secus si vovens virginitatem, per hanc vellet se se obligare ad castitatem absolutam ac perpetuam.

3, *In voto conditionato*, sed ante purificatam seu impletam conditionem.

In votis pœnalibus, ut si fornicatus fuero ingrediar religionem sed similiter ante impletam conditionem (quidquid dicant Probabilistæ) ex causa non levi & ut opus in quod fit commutatio voti pœnalis præservativi, non minus refrænet a peccato committendo, quam prior voti materia, prout voluit Benedictus XIV. in Bulla extensiva universalis Jubilæi in urbe An: 1750. celebrati.

5. Possunt quoque (ex concessione S. Pii V. vivæ vocis oraculo facta aliorumque Pontificum) Confessarii Mendicantium dispensare ad petendum debitum cum iis conjugibus, qui contraxerunt Matrimonium cum voto simplici Castitatis antea emisso: item & cum incestuosis conjugibus, qui contracto jam Matrimonio cum alterius conjugis consangvinea, intra secundum gradum adulterium perpetrarunt; si tamen tales Confessarii sint viri docti, atque ad hoc a suo Provinciali deputentur. *Qua de re Vid. Reiffenst. Tr. 6. Dist.* 3. *q.* 4. *n.* 48. *& Didae. ab Arrag de Privil Provincial Tr:* 3. *c.* 8. *n.* 22.

❀ ❀ ❀

DE III. PRÆCEPTO.

MEmento ut diem Sabathi ſanctifices *Exod:* 20. Eſt partim negativum, inquantum prohibet opera ſervilia, atque judicium mortis & ſangvinis, omnemque ſtrepitum forenſem; eſt affirmativum, inquantum præcipit Actum virtuoſum, & famulatum DEO. De abſtinendo ab opere ſervili habentur plura ſub præcepto Eccleſiæ. Hic de cultu DEI per Actus virtutum tam interno, quam externo.

DE VIRTUTIBUS.

Quæ ſunt Habitus perficientes ſubſtantiam intellectualem & ad bonam operationem inclinantes.

Aliæ Virtutes.

Ex parte ſubjecti: id eſt Intellectuales: ut intellectus, Scientia, Sapientia, Ars, & Prudentia.

Ex diverſitate cauſæ efficientis Infuſæ, quæ nobis a DEO in baptiſmo infunduntur ut habitus Fidei, Spei & Charitatis. Acquiſitæ: quæ frequentatis Actibus comparantur, ut habitus Temperantiæ Manſvetudinis.

Ex diverſitate objecti. aliæ ſunt Theologicæ, aliæ Morales.

Virtus Theologica. eſt virtus infuſa a DEO cujus principalis Actus tendit in DEUM, tanquam objectum immediatum.

Fides.	augetur meditatione.	Symboli Apoſtolici.
Spes.		Orationis Dominicæ.
Charitas		Decem Præceptorum

Fides. eſt Actus ſupernaturalis, quo quis concurrente gratia DEI excitante & colluſtrante aſſentitur

alicui propositioni, quia DEUS summe verus illam revelavit, vel ut habitus est donum DEI & virtus infusa, qua firmiter assentimur iis omnibus, quæ nobis a DEO revelata sunt quatenus sunt revelata.

Adultus tenetur sæpe sæpius elicere Actum Fidei (idem dic de Actibus spei & Charitatis) ob contrariam sententiam damnatam ab Innocentio XI. Anno 1769.

Actus Fidei est eliciendus sic.

CRedo firmissime in Te DEUM meum unum & Trinum Incarnatum, Remuneratorem aliaque dogmata propter summam veracitatem tuam, de qua per Ecclesiam me certificas.

Spes. est donum DEI, quo desideramus consequi bonum infinitum propter merita JESU Christi in Patria adipiscendum.

Tenemur sæpius elicere Actum spei Oseæ 12. Spera in DEO Tuo semper, & contraria sententia est damnata ab Alexandro VII.

Actus Spei est eliciendus sic.

SPero fiducialiter DEUS meus omnipotens propter misericordiam Tuam, & merita JESU Christi consequi vitam æternam per bona opera, quæ cum auxilio gratiæ Tuæ facere propono.

Charitas. est virtus qua diligitur DEUS propter se super omnia, & proximus propter DEUM.

Diligere DEUM propter infinitam ejus bonitatem huncque Actum quam sæpissime exercere tenemur propter oppositam sententiam damnatam ab Alexandro VII. Et plurima testimonia S. Scripturæ.

Actus Charitatis eliciendus sic.

AMO ardentissime Te DEUS meus propter summam & infinitam bonitatem Tuam ex toto corde meo intensivè, & super omnia appretiativè, & potius paratus sum mortem subire, atque omnia perdere,

quam te offendere. Et propter amorem Tui volo amare proximum ficut me ipfum.

Vitia oppofita Virtuti Religionis,

Per exceffum. Superftitio, Idololatria, Divinatio, vana obfervantia, Magia.

Per defectum. Irreligiofitas, Hærefis, Tentatio DEI, Sacrilegium, Simonia, Blafphemia, Perjurium Violatio voti.

Vitia oppofita Virtuti Fidei.

Infidelitas, Apoftafia explicata fub 1. Præcepto.

Vitia oppofita Virtuti Spei.

Defperatio & Præfumptio ibidem explicata.

Vitia oppofita Virtuti Charitatis.

Omnia mortalia quia deftruunt Charitatis habitum. S. Thom: Q 34. præcipua numerat 10. 1. Odium DEI 2. Odium proximi. 3. Triftitia feu accedia. 4 Invidia 5. Difcordia. 6 Rixa. 7. Contentio. 8. Seditio. 9. Bellum injuftum, 10. Schifma atque fcandalum.

Virtutes Cardinales morales 4.

Ex quibus tanquam cardinibus aliæ promanant.

Prudentia. feu recta agendorum ratio, aut virtus, quæ fecundum honefti rationem, quid agendum quidve fugiendum fit proponit.

Temperantia. eft Virtus refrænans inordinatos appetitus & concupifceutias corporis præfertim circa guftum & tactum

Fortitudo. eft Virtus voluntatem inclinans ad labores perferendos & jufta pericula aggredienda.

Juftitia. eft conftans & perpetua voluntas jus fuum unicuique tribuendi.

Dona Spiritus Sancti.

Quibus Virtutes Theologicæ & Cardinales ad operationem fuam promoventur funt 7.

Da 1. Sapere, atque 2, Intellectum tu maxime Chrifte.

3. *Consilio.* 4. *Fortem muni da* 5. *Scire.* 6. *Pi: umque.*
Esse 7. *Timore. DEUM sancto colere & revereri.*

12 Fructus Spiritus Sancti.

1. Charitas. 2. Gaudium. 3. Pax. 4. Patientia. 5, Benignitas, 6. Bonitas. 7. Mansvetudo. 8. Longanimitas. 9. Fides. 10. modestia 11. Continentia. 12. Castitas.

Bona Opera.

1. Oratio. 2. Jejunium. 3. Eleemosina.

Opera Misericordiæ Spiritualia.

1. *Consule.* 2. *Doce.* 3. *Castiga.* 4. *Solare.* 5. *Remitte.* 6. *Fer.* 7. *Ora.*

Corporalia 7.

1 *Visito.* 2. *Poto.* 3. *Cibo.* 4. *Redimo.* 5. *Tego,* 6. *Colligo* 7. *Condo.*

Octo Beatitudines.

Si cupis æternum regnare atque esse beatus.
Sis animo 1. *Pauper,* 2. *Mitis,* 3. *Lugensque. Avidusque.*
4. *Justitiæ,* 5 *Miserans,* 6. *Mundus quoque* 7. *Pacis amator.*
Propter justitiam 8. *ferre & quæcunque paratus.*

DE QUARTO PRÆCEPTO.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam.

Hoc Præcepto tria præcipiuntur ut Parentibus a filiis exhibeantur.

Reverentia etiam interna.
Amor primus post DEUM.
Obedientia. legitime præcipientibus.

Parentes erga filios tenentur.

Alimentationem. necessariam.
Instructionem. in Fide & moribus.
Collocationem. in certo vitæ statu.

Non tantum Parentes vigore hujus Præcepti tenemur honorare, sed etiam eos qui nomine Parentum jure veniunt, ut:

Superiores potestatem spiritualem in nos habentes ut Episcopi, Curati, Pastores.

Superiores potestatem sæcularem in nos habentes, ut Reges, Principes, Dominos *Magistros Præceptores, Tutores.*

DE V. PRÆCEPTO.

Non occides *Exod* 20.

Prohibetur sui ipsius & proximi sui occisio.

Homicidium. speciales malitias in confessione aperiendas continet, ut sunt.

Parricidium. occisio Parentum, consangvineorum, imo etiam fœtus animati a proprio parente, cum hæc omnia sint contra justitiam & pietatem.

Proditio patriæ seu machinatio in Principem, atque suam patriam.

Sacrilegium. occisio Personæ sacræ, aut alterius in loco sacro.

Assassinium quod est subordinatio alteri pecuniæ ad occidendum proximum.

Proditorium sub speciæ amicitiæ.

- Omne Homicidium sicut & procuratio abortus fœtus animati inducit irregularitatem, sed procuratio abortus insuper Excommunicationem Loci Ordinariis reservatam, atque pœnas jure communi contra Homicidas statuas, si Clerici autem fuerint privationem Beneficiorum obtinendorum & obtentorum & degradationem.

Licet tamen quandoque occidere injuſtum aggreſſorem vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ, item pro defendenda pudicitia.

Non licet vero calumniatorem falſum & iniquum teſtem, uxorem adulteram, furem pro conſervatione unius aurei, propter damnatas Propoſitiones.

Hoc Præcepto prohibetur etiam.

Mutilatio. membri alicujus oblatio.

Vulneratio. *Enormis* ut manus.

Non enormis ut digiti.

DE DUELLO.

Eſt pugna duorum condicto loco & tempore.

Solemne. in quo interveniunt certæ ceremoniæ, ut provocatio per epiſtolam, electio patrinorum ac teſtium.

Non ſolemne. quod præter locum & tempus, reliquis caret ceremoniis.

Propter damnatas a Benedicto XIV. Propoſitiones.

Non licet provocare & acceptare Duellum.

1. Pro tuendo honore & fama ut Vir militaris.
2. Pro ſervanda cum honore fortuna ſeu opibus.
3. Pro vitanda ignominia ut Dux belli.
4. Pro conſervanda vita quamvis Aggreſſorem.
5. Etiam ſi certo ſciant pugnam non eſſe ſecuturam.

Pœnæ Duellantium.

1. Excommunicationis reſervatæ in Principes permittentes, ipſos duellantes, Patrinos, conſilium dantes, ſpectatores, fautores.
2. Infamiæ & bonorum proſcriptionis in duellantes & patrinos.
3. Privationis aſyli & immunitatis Eccleſiaſticæ. ſi ex duello mori debeat unus.
4. Privationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ in morientem ex vulnere in duello accepto etiamſi ſigna pæ-

nitentiæ dederit & abſolutionem de peccatis & cenſuris obtinuerit, in quo nec Epiſcopi diſpenſare valent ex Benedicti XIV. Conſtitutione.

Rationes excuſantes a Duello & Pænis.

1. Si ex primo impetu venitur ad rixas etiam cruentas, mutilationem & ipſam mortem non eſt Duellum.

2. Si non interceſſit conditio loci vel temporis.

3. Si inimici obviantes ſibi in via pugnant.

4. Si rixantes in uno loco dicant exeamus hinc, & ſtatim pugnant.

5. Si talis pactio fiat: quocunque in loco te reperiam, decertabo, quia non definitur locus, & quamvis poſt pugnent, non eſt Duellum ſtricte.

DE SEXTO PRÆCEPTO.

Non mæchaberis. *prohibetur.*

Fornicatio. libera cum libera commixtio.

Adulterium. acceſſus ad alienum thorum.

Inceſtus. inter ſangvine junctos copula.

Stuprum. violenta virginis corruptio.

Raptus. abductio per vim fine libidinis.

Sacrilegium. Perſonarum DEO per votum caſtitatis & profeſſionis ſacratarum. fornicatio.

Vitium contra naturam.

Ex quo non poteſt ſequi generatio.

Molities. Voluntaria pollutio.

Beſtialitas. actus luxurioſus cum animalibus.

Sodomia. concubitus ejuſdem ſexus.

Indebitus. concubendi modus.

Supra hæc prohibetur.

Concubinatus. a quo non poteſt abſolvi pænitens, niſi dimiſſa Concubina.

Oscula, Tactus. Aspectus & omnia alia provocantia ad libidinem.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO.

Non furtum facies.

Furtum, eſt occulta rei acceptio alienæ, Domino rationabiliter invito.

Rapina. occupatio rei alienæ cum violentia.

Sacrilegium. acceptio clam vel violenter rei ſacræ.

Pelagiatus. eſt ablatio hominis.

Damnificatio. proximi ſive per ſe. ſive per alium in bonis fortunæ.

Generaliter Scienda.

1. Singulæ Species furti trahunt Reſtitutionem.
2. Datur parvitas materiæ
3. Modicum furans animo furandi plura ſi poſſet, peccat mortaliter.
4. Qui per furta minuta intendit diteſcere peccat mortaliter.
5. Famuli in compenſationem ſalarii ſi furentur peccant.
6. Non licet in gravi neceſſitate.
7. Sed in extrema neceſſitate licitum eſt ea ſurripere, quæ ad Suſtentationem vitæ ſunt neceſſaria.
8. Etiam furta uxoris, filii familias non vacant a peccato, niſi parvitas materiæ & prudens moderamen excuſet.

DE OCTAVO PRÆCEPTO.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

Prohibetur omnis injuſtitia & injuria.

Detractio. alienæ famæ occulta & injuſta læſio ſeu denigratio, committitur:

Directe. 1. Imponendo crimen falſum. 2. ſiniſtre interpretando. 3. Manifeſtando crimen ocultum. 4. Exaggerando verum.

Indirecte. 1. Negando recte facta. 2. Extenuando. 3. Tacendo 4. frigide laudando.

Imponens ; augens, manifeſtans. in mala vertens:
Qui negat aut minuit, reticet laudatque remiſſe.

Cauſæ in quibus abſque detractionis culpa licet manifeſtare crimen occultum.

1. Bonum proximi & emendatio ipſius ex: gr: manifeſtando Superiori ſervato tamen modo correctionis fraternæ.

2. Ad impediendum damnum tertii vel communitatis ſic poſſum monere ut ſibi caveant à fure, quem novi, cum illis manere.

3. Quando agitur de Officio. Beneficio, Matrimonio, Religione ſuſcipienda poſſunt juſta impedimenta cæteroquin occulta manifeſtari.

4. Ad detegendam ſimulationem, ut ſi quis fictis virtutibus famam ſibi paravit, & ea vergat in detrimentum alicujus, ut ſi quis ſimulet ſe peritum, advocatum, medicum &c. poſſum manifeſtare, ſi ſcio contrarium.

Contumelia. qua alicujus præſentis honor & exiſtimatio palam læditur verbo, ſcripto, facto, eaque fit per Convicium, Improperium, Maledictum, Libellum famoſum &c. item lædendo irriſione, carcere, verberibus.

Convicium a Contumelia in hoc differt, quod per verba contumelioſa exprobretur defectus ex culpa procedens: ut ſi exprobretur quod ſit fur, adulter &c. jam autem convicio carpuntur defectus pænæ vel naturæ, ut quod ſit cæcus claudus &c.

Improperium. exprobrat injurioſè auxilium quod alteri contulit.

Maledictum. eſt imprecatio mali pænæ, ut diaboli fulgnris &c.

Irriſio. ſignificat riſum cum alterius contemptu & erubeſcentia.

Subſannatio. quæ contingit geſtibus deriſoriis.

Suſurratio. quæ diſſenſionem animi moliatur.

Libellus. famoſus & ſcriptura infamiam continens.

Judicium temerarium. eſt firma animi ſententia ſeu aſſenſus de factis proximi ſine ſufficientibus indiciis, ſive fiat mentalis, ſive vocalis, ſive ſcripta, mortale.

Suſpicio. eſt aſſenſus debilis junctus cum dubitatione de oppoſito eſtque 1. Levis. 2, Vehemens. 3. Violenta.

Dubitatio. eſt ſuſpicio animi in neutram partem ſe determinantis.

DE RESTITUTIONE.

Quæ eſt Actus juſtitiæ, quo fit rei alienæ redditio, vel damni injuſte illati compenſatio.

Quis, cui reſtituet, cur, quomodo, quando.

Quis. Ad Reſtitutionem tenentur non ſolum ii qui per ſe immediate & directe influunt in damnificationem proximi actione lucrativa, ut furto, rapina: ſive actione non lucrifactiva, ut combuſtione, ſubmerſione, occiſione, mutilatione; ſed etiam illi, qui ſolum moraliter deliberate & efficaciter influunt alios movendo ad damnum inferendum.

Quilibet in ſolidum reddat prius injuriato.

Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus.

Participans, Mutus, non obſtans, non Manifeſtans.

Cui. Ipſi damnificatio, eo non exiſtente Hæredibus, & ſi iſtis caret ad cauſas pias.

Reſtituat rem oblatam aut ſi periit prætium pro ea æquivalens tum lucrum ceſſans & damnum emergens.

Cur. S. Aug: Epift: 54. Si res aliena propter quam peccatum eft fi reddi poffit, non redditur, non agitur pænitentia, fed fingitur. fi autem veraciter agitur non remittitur peccatum, nifi reftituatur ablatum, nam eft Actus juftitiæ commutativæ.

Quomodo. Primo ordine is qui habet licite vel illicite rem alienam. fed eo non faciente cooperantes in folidum tenentur per fe vel per alium, nifi id ob periculum vitæ & honoris non valeant facere.

Quando. Nifi adfit aliqua caufa excufans Reftitutio facienda eft quam primum.

Radices Reftitutionis. quamvis funt duæ ex re accepta, & injufta acceptione tamen claritatis gratia numerantur,

1, *Ex re accepta.* ut Poffeffor bone fidei tenetur reftituere ac primum agnofcit alienum.

2. *Ex injufta acceptione.* feu ex debito formali, ut Poffeffor malæ fidei,

3. *Ex damno injufte illato.* per actionem non lucrativam comburendo, devaftando,

4. *Ex Contractu* quo tenentur explicite vel implicite evincere ex: gr: f. equus furtivus fuit venditus quamvis putaretur fuus, & dein a Domino proprio receptus, prætium emptori eft reftituendum.

Ex lege pofitiva. Plura enim jus difpofuit. 1: Si animalia damnum facerent. 2. Si fervi, fi obex in via pofitus & non cautus Dominus eorum, quamvis videatur nullam habere culpam tenetur ad Reftitutionem. 3. Ficti Pauperes. 4. Exponentes legitimas proles vel illegitimas fi ipfi alere funt capaces. 5, Gabellas defraudentes. 6. Beneficiati ob non recitationem Divini Officii. 7. Canonici ob non refidentiam. 8. Simoniaci fructus ex beneficio Simoniace obtento. Præcipue autem.

1. Ratione ftupri & adulterii.
2. Ratione injufti homicidii & mutilationis.
3. Damnificationis in honore & fama.

Ratione adulterii tenentur adulteri genitores præftare alimenta proli adulterinæ.

Mater alit prolem trimum trimoque minorem.

Majorem vero paſcere Patris erit.

Adulter ſciens prolem ſuam ſi adultera ſit impotens ad reſtitutionem, tenetur ipſe reſarcire impenſas pro alimentis, & compenſare damna in diviſione hæreditatis legitimorum.

Adultera non tenetur cum periculo vitæ & infamia manifeſtare prolem ſpuriam, ad reparanda damna legitimorum debet, ſi poteſt, perſvadere ſpurio eligendum ſtatum ſpiritualem.

Ratione ſtupri tenentur ſtupratores ex *Cap.* 1. *de Adulteriis:* Si ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem, ſi vero pater virginis dare noluerit reddet pecuniam juxta modum dotis.

Ratione homicidii. tenetur homicida.

1. Pro anima occiſi orationibus eleemoſynis ac prædipue Sacrificiis Miſſæ ſatisfacere, quod pro pænitentia injungendum.

2. Omnia damna per occiſionem illata alteri vg. uxori ante ſententiam Judicis.

3. Expenſas pro curatione ſi ante mortem uſus eſt.

Ratione mutilationis. tenetur reſtituere expenſas pro curatione factas, ſed etiam omnia damna reſarcire ſi quæ per mutilationem patitur.

Ratione honoris & famæ tenentur rei

1. Si falſum crimen objecerunt, retrahere verba ſua apud illos quibus dixerant, & ad quos notitia pervenit.

2. Si verum crimen ſed ocultum manifeſtatum fuit non poteſt retrahere verba ſua, alias mentiretur, ſed debet fateri ſe ſtulte dixiſſe.

3. Si ex detractione proximo fuit illatum damnum in bonis fortunæ, tantum eſt reſtituendum, quantum damni paſſus eſt.

Reſtitutio ut pote Actus juſtitiæ commutativæ, eſt neceſſarius neceſſitate præcepti. non vero medii, ut tenet S. Aug: *Non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum.* ſed ut dixi cum reſtitui poteſt.

Causæ excusantes a Restitutione ad tempus vel pro semper.

1. Generales tres. 1. Ignorantia in possessore bonæ fidei. 2. Impotentia. 3. Si ex Restitutione creditori damnum sequi posset. v. g. Furiato restituendo gladium.

2. Omnino excusantes quatuor. 1. Interitus rei in specie debitæ sine ulla culpa debitori bonæ fidei. 2. Remissio creditoris expressa vel tacita. 3. Compensatio facta 4. Authoritas superior cum aliquis per decretum fit liber a debito solvendo.

3. Pro differenda ad tempus Restitutione, periculum vitæ vel honoris.

4. Excusantes a Restitutione famæ & honoris. 1. Periculum vitæ imo interdum honoris sed in persona diffamante longe excellentiori præ diffamata 2. Quando jam in oblivionem abivit. 3. Quando fama est alio modo recuperata. 4. Si fuit diffamatio per accidens ex joco.

DE NONO PRÆCEPTO.

Non concupisces uxorem proximi tui.

Prohibetur delectatio morosa atque illicitum desiderium in materia venerea.

Delectationes morosæ venereæ sunt illæ, quæ ex rebus obscænis cogitatione vel imaginatione apprehensis, cum pleno & deliberato voluntatis consensu percipiuntur, quamvis non sit voluntas rem ipsam patrandi.

Desideria illicita. sunt illa per quæ quis ipsum actum obscænum opere externo perficere desiderat, & sive ad hoc media quærat sive non, sufficit, quod desideret.

Tales cogitationes ſunt peccata ejuſdem ſpeciei, cujus ſpeciei eſſet peccatum operis, & poſſunt ratione circumſtantiarum plura ſpecie peccata involvere.

Non licet delectari de præteritis licitis actibus, quia & hoc excitat libidinem.

Neque licet deſiderare rem actu prohibitam, ſub conditione ſi non eſſet prohibita, ſi ſcilicet talis res ideo ſit prohibita quia eſt ex ſe mala ut furtum, homicidium, aut ſit circa objectum venereum, propter affectum pravum, & periculum, ſecus dicendum de re ideo præciſe mala, quia prohibita qualis eſt eſus carnium diebus jejunii.

DE DECIMO PRÆCEPTO.

Non domum, non agrum, non ſervum. non ancillam, non aſinum, & univerſa quæ illius ſunt.

Peccant. 1. Qui nimia aviditate divitias expetunt 2. Qui pravis modis opes augere cupiunt & in ſpecie.

1. Qui ludis abutuntur.
2. Mercatores qui rerum penuriam expetunt.
3. Milites qui occaſione belli furta et rapinas præſtolantur.
4. *Uſurarii*: Qui lucra quærunt ex mutuo, ratione mutui Uſura quippe alia eſt.

Mentalis. quando ſine ullo pacto externo,. animo tamen determinato quæritur lucrum ex mutuo.

Realis. quando ex pacto expreſſo,

Palliata quando ſub aliquo pretextu *ex: gr:* non repetendi ad certum tempus propter *Dam ab Alex: VII. Prop*: *Nro*. 42. aut gratitudinis, & benevolentiæ gratia Expectatur. propter aliam *ab Innoc: XI. Dam: Prop*: *Nro* 42.

Uſura in quantitate quæ ſufficit ad lethale in furto, eſt mortale peccatum, & uſurarius publicus non eſt abſolvendus niſi ſatisfaciat juxta *Encicl Bened: XIV. Anno* 1745. die 1. Novemb. neque ſepeliendus in loco ſacro. *Clem:* 1. *de Sepultura* neque recipiendus in Domos Clericorum *Cap uſurarum de uſuris in* 6.

QUINQUE ECCLESIÆ

PRÆCEPTA

PRIMUM

Prohibet diebus Dominicis & feſtis Opera Servilia.

OPERA *hominum* alia ſunt corporalia, quæ exercitio corporis peraguntur, alia opera animæ ſive liberalia, quæ ab anima procedunt, & ad excollendum animum inſerviunt. Corporalia.

Servilia, quæ tantum a ſervis præſtantur.

Non ſervilia. quæ tam Dominis, quam ſervis ſunt communia.

Non prohibentur Opera.

1. *Animæ* ut legerè, ſcribere, docere, diſputare, concionari, conſulere,

2. *Pietatis.* pro decore Eccleſiæ, pro ſervitio infirmorum. mortuorum labores.

3. *Neceſſitatis.* ignem ſuccendere, coquere, iter facere, molere granum, ſuere veſtes pro eodem die in ſervientes, coquentes calcem, vitrum, laborantes in commodum communitatis ut reficere pontes, pro tuitione præſidii reficientes mænia &c.

Quæ omnia etiam pro mercede fieri poſſunt, ſed quidquid fit contra. Prohibetur.

Omne opus ſervile abſque neceſſitate, vel pietatis cauſa, imo &.

Non ſervile ut *Mercatus* ſeu mercatura, *Placitum* ſeu cauſæ forenſes atque *Præſtatio Sacramenti*, hoc

eſt

eſt, exceptio Juramenti & Teſtium, examen fieri non debet.

Secundum.

Præcipit Diebus Dominicis ac Feſtis audiendam Miſſam.

Audire Miſſam eſt corpore adeſſe & mente attendere ad Sacrificium, hoc eſt habere Intentionem ſatisfaciendi Præcepto & attentionem ad cultum DEI. In Doctioribus ſvadenda myſteriorum paſſionis Chriſti meditatio.

Cauſæ excuſantes ab auditione Miſſæ.

1. *Impotentia. Phyſica* ut incarcerati, lecto affixi itinerantes & Miſſam non invenientes, in mari vel terris Infidelium exiſtentes.

Impotentia moralis 1. Circa bona animæ, ut virgo prævidens periculum in via præparari. 2 circa bona corporis ut ob aeris intemperiem, fluviorum exundationem, ob infirmitatem & convaleſcentiam 3. circa tuitionem famæ & honoris, ut eorum qui pro ſua conditione non habent veſtes, Puella gravida, 4. Circa tuitionem bonorum fortunæ, ut famuli cuſtodientes domum, excubias agentes.

3. *Titulus Pietatis.* Inſervientes ægromater familias nutrix.

4. *Titulus Officii* ut cuſtodes pecorum, aurigæ qui ea die vehendo dominos cuſtodire debent & currus & equos.

Tertium.

Jejunia certis temporibus ſervare.

Jejunium. eſt abſtinentia voluntaria a cibo juxta præſcriptum Eccleſiæ..

Ad jejunium tria requiruntur 1. Abſtinentia cibo-

rum certi generis. 2 Abſtinentia plurium refectionum. 3. Certa hora refectionis,

Ratione Primi. Diſpenſatus ad carnes pro prandio, pro refectiuncula non poteſt manducare carnes, ſed ſolum de eſurialibus more jejunantium. Bened: XiV. ſed depdnſatus a qualitate non eſt eo ipſo diſpenſatus a quantitate

Ratione ſecundi Cibis eſurialibus pluries veſcens in die ad ſatietatem & indulgens gulæ frangit jejunium quantitatis.

Ratione tertii. Pro collatione ſerotina loco cenæ non facile poteſt determinari quantitas. Quarta pars prandii ordinarii & frugalis, aut ea quantitas quam temperantia non gula dictat in frigidioribus Regionibus major adhibetur indulgentia.

De refectione matutina quæ ſumitur per modum potus ita tenendum, ut inter dies jejunii & alios fiat diſtinctio.

Cauſæ excuſantes a Jejunio.

1. *Impotentia Phyſica* ut carentes cibis eſurialibus & habentes carnes, ut pauperes.

2. *Impotentia moralis* ut 1. Infirmi. 2. Somno carentes. 3. Prægnantès 4. Lactantes. 5. Adoleſcentes. 6. Senes, ſexagenarii viri& feminæ quinquagenariæ fractæ valetudinis.

3. *Ratione pietatis* ut incumbentes operibus miſericordiæ corporalibus vel Spiritualibus, quales ſunt Medici, Concionatores, Catechiſtæ. Sacramenta adminiſtrantes, Lectores, Confeſſarii, Cantores, AdvocatiJudices &c quod totum intelligendum eſt non abſolute ſed reſpective attenta ſcilicet defatigatione, aliiſque circumſtantiis.

4. *Ratione neceſſitatis* & laboris, ut agricolæ & omnes mechanici, qui nimio corporis exercitio ſuas exercent artes, itinerantes magno labore.

5. *Ratione dispensationis* quæ non nisi cum consilio utriusque medici datur etiam a Parocho præsertim propter rudiores.

Quartum.

Peccata sua Sacerdoti proprio annis singulis confiteri.

Non solum obligat ad Confessionem præmittendam Communioni Paschali sed etiam si in Paschali confessione sola habuit venialia, primo ac habuerit conscientiam mortali gravatam teneatur confiteri. *ita Trid: Sess:* 14. *c.* 5.

Tenentur pueri & puellæ ad annos discretionis pervenientes.

Per sacrilegam confessionem non satisfit huic Præcepto propter damnatam ab *Alexandro VII.*

Regulares Mendicantes & cum iis communicantes approbati in Diæcesi possunt sæcularium excipere confessiones pro adimplendo hoc Præcepto, & requirentibus Parochis tenentur schedulas gratis concedere.

Regulares suorum servorum & commensalium de adimpleto hoc Præcepto non tenentur informare Parochum *ex Decr: S. Congr: Conc:* 7. *Jul:* 1607.

Quintum.

Sacrosanctam Eucharistiam ad minus semel in anno idque circa festum Paschæ sumere.

Non solum obligat in Paschate, sed etiam in articulo mortis, & sæpius in vita.

Non satis fit per sacrilegam Communionem in Paschate factam, quamvis alias eo anno rite sumpsisset.

Sæcularibus Regulares non administrant Pascha-

lem Communionem niſi de licentia, ſuis autem commenſalibus rite adminiſtrant.

Ad ſumendam Eucharistiam requiritur Jejunium naturale.

1. A media nocte nec per modum cibi neque per modum potus quidquam eſt ſumendum:

2. Somni carentia non frangit jejunium naturale, ſed ſi ſequatur perturbatio ſvadetur abſtinendum a Communione.

3. Cibi remanentes in ore etiam ſi poſt deglutiantur per modum ſalivæ, non frangitur jejunium naturale.



DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Sacramentum est rei sacræ signum.

Antiquæ Legis fuerunt: Circumcisio, oblatio parvulorum, esus agni paschalis, ablutiones corporis &c.

Novæ Legis est signum sensibile a DEO institutum ad conferendam efficaciter gratiam, sanctificantem viatori.

Baptisat, firmat, Pascit, Solvit, Sacer Ordo.
Nectit conjugio. ægrotos ungit prece fusa.
Versibus his: septem quæ sunt mysteria disce.

Quodlibet est novæ Legis Sacramentum Causativum gratiæ, videlicet.

Baptismus Gratiæ Regenerantis.
Confirmatio Corroborantis.
Eucharistia Cibantis.
Pænitentia Remissivæ.
Ordo Potestativæ.
Matrimonium unitivæ.
Extrema Unctio Abolitivæ reliquiarum peccati.

Ex his Sacramentis alia sunt.

Mortuorum, quæ conferri solent mortuis morte peccati, ut Baptismus & Pænitentia.

Vivorum. quæ conferri debent viventibus vita gratiæ, ut reliqua quinque.

Non Iterabilia. quæ imprimunt characterem in-

delebilem animæ, ut Baptiſmus, Confirmatio, Ordo.

Iterabilia. quæ non imprimunt characterem, & ſunt reliqua quatuor.

Voluntatis eadem quatuor.

Neceſſitatis Baptiſmus Pænitentia, & Euchariſtia *Neceſſitatis medii* Baptiſmus & Pænitentia. *Præcepti* Euchariſtia.

Sacramenta perficiuntur tribus. 1. *Rebus* tanquam materia. 2. *Verbis* tanquam forma. 3. *Intentione* Miniſtri, quod facit Eccleſia.

De intentione dictum eſt ſub oratione.

Effectus Sacramentorum eſt Gratia & Character.

GRATIA.

Sanctificans. eſt donum ſupernaturale infuſum animæ, reddens hominem DEO gratum, ſanctum juſtum, amicum, Hæredem DEI & Cohæredem Chriſti.

Actualis. eſt auxilium ſupernaturale datum homini a DEO ad operandum ſalutariter & meritoriè.

Habitualis eſt habitus permanens in anima quouſque non cadit in peccatum lethale.

Gratis data. eſt donum ad utilitatem aliorum ordinatum. Apoſtol. ad Cor: 12. *ut Prophetia. virtus curationum, interpretatio linguarum.* &c.

Ex opere operato id eſt ex meritis Chriſti.

Ex opere operantis ex merito dignè ſuſcipientis vel conficientis propter devotionem Actuſque virtutum.

Sacramentalis. id eſt cuilibet Sacramento annexum donum ad ſortiendum ſuum effectum.

Efficax. ſemper habens ſuum effectum.

Sufficiens. haberet certo effectum ſi ex parte hominis ponerentur prærequiſita.

Omnia Sacramenta conferunt ex opere operato gratiam Sacramentalem digne ſumentibus & non

ponentibus obicem. Præterea auxilia opportuna ad consequendos proprios fines singulorum Sacramentorum.

Sacramenta mortuorum ut Baptismus & Pænitentia vi primariæ suæ institutionis conferunt primam gratiam sanctificantem, sed si hæc præfuerit per accidens, augmentum gratiæ.

E contra dicendum de Sacramentis vivorum.

CHARACTER.

Est signaculum spirituale impressum a DEO animæ suscipienti Sacramentum indelebiliter manens; unde etiam post mortem manebit in damnatis ad ignominiam, & in beatis ad gloriam.

Ad recipienda Sacramenta Mortuorum in adultis requiritur contritio vel saltim attritio.

Ad suscipienda vero Sacramenta vivorum rite & fructuose requiritur Status Gratiæ.

BAPTISMUS.

Institutus est a Christo Domino non tunc, quando baptisatus fuit a Joanne, sed alio tempore ante mortem suam, quod facile determinari non potest. Necessario autem conferendum injunxit Apostolis post Resurrectionem suam. *Euntes docete Baptisantes eos.*

Materia remota est aqua naturalis & elementaris in casu necessitatis, ex præscripto autem Ecclesiæ est aqua Baptismalis.

Valida est materia, aqua sive frigida sive calida, amara vel dulcis fluvialis, pluvialis, putei vel fontis, sive maris, turbida, lutosa, sulphurea, salsa, Item aqua resoluta ex nive, grandine, gelu vel vaporibus condensatis, fluens ex lapidibus aut parietibus hiberno tempore, tum aqua expressa ex luto vel aliis permixtis.

Invalida materia. oleum, saliva, lachrymæ, sudor sangvinis, urina, vinum, lac. Item liquores & succi

expressi ex arboribus, pomis, pyris, cerasis, radicibus, granis & similibus. Idem dicendum de nive, glacie, grandine, pruina, nisi prius resolvantur, quia etsi sunt aqua naturalis, sed non usualis & fluida ad abluendum idonea.

Dubia materia omnis aqua ex floribus & herbis per distallationem extracta. Liquores naturaliter ex vitibus & arboribus emanantes, cerevisia valde tenuis lixivium non nimis crassum & coctum, aqua ex sale: imo si sit ex sale maris est materia valida, si autem ex sale petræ est invalida. Item jusculum in quo carnes fuerunt coctæ si nimis tenue est materia dubia.

Proxima materia. est applicatio materiæ remotæ & tripliciter fieri potest: per Ablutionem, Immersionem & Aspersionem.

Forma remota. Vera & legitima verba in Ecclesia Latina: *Ego te Baptiso in Nomine Patris, &c.*

Ad essentiam formæ quatuor requiruntur.

1. Exprimi debet persona per ly te.

2. Actio Ministri per ly Baptiso.

3. Invocatio Sanctissimæ Trinitatis in Nomine Patris &c.

4. Unitas naturæ in personis per ly in Nomine.

Validæ formæ præter legitimam in Ecclesia Latina in quacunque lingva prolatam.

1. Ego te abluo &c. Ego te lavo &c. Ego Dominationem vram. Majestatem vram. baptiso.

2. Ego te Baptiso in Nomine Patris Omnipotentis &c.

3. Baptiso te ego, vel, te baptiso ego, vel, in Nomine Patris &c. ego te baptiso.

4. Per ignorantiam lingvæ ego te baptiso in Nomine Paria & Filia &c.

5. Ego te baptiso in Nomine Patris, in Nomine Filii &c.

Invalidæ formæ.

1. Ego te baptiso in Nominibus Patris, quia non

exprimitur unitas essentiæ in Personis.

2. Ego te baptiso cum Patre &c. quia particula cum significat societatem non unitatem.

3. Ego te Baptiso ex Patre &c quia particula ex potius significaret Procuratorem non Ministrum.

4. Quando non fit explicita expressio Personarum ut si dicatur gratia Spiritus S. aut per Filium in Spiritu S. aut in Nomine unius DEI & Trini.

5. Quando variatur significatio ut in Nomine Paternitatis aut in Nomine DEI. Sanctæ Crucis. in Nomine Matris.

6. Omissò ego te baptiso.

7. Ego te Baptiso in Nomine Domini, in Nomine JESU. Porro quando in Act: Apost. c. 2. 8. & 12. dicuntur Apostoli baptizasse in Nomine JESU. Nam Act: 29. cum Ephesii aliqui dixissent Paulo: neque si Spiritus Sanctus est, audivimus, respondit Paulus: in quo ergo baptizati estis? quibus verbis significatur, etiam Pauli tempore, in Baptismi forma, invocatum fuisse Nomen Spiritus S. consequenter totius SSS. Trinitatis.

Dubia forma.

1. Ego te baptizo in virtute Patris & Filii &c.
2. Ego te baptizo in uno DEO Patre & Filio &c.
3. Ego te baptizo in Nomine Genitoris Geniti &c.
vel Creatoris, Redemptoris, & Sanctificatoris.
vel Omnipotentis Sapientis & Doni
vel primæ secundæ & tertiæ Personæ.
4. Permutando Ordinem Personarum in Nomine Filii & Patris & Spiritus S. vel in Nomine Spiritus S. &c.
5. Omittendo ly Sancti addendum Spiritui.
6. Omittendo particulam ly In.

Forma proxima. est applicatio seu prolatio verborum formæ cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, adeoque forma proferenda est.

Minister Ordinarius ex officio & solemnitate in toto orbe Papa, in sua Diæcesi Episcopus, & Pa-

rochus, in sua Parochia, vel alius Sacerdos, ab illo deputatus, non autem Diaconus etsi fuerit Parochus, nisi ob defectum Sacerdotum ab Episcopo destinatus.

In Casu necessitatis. est quilibet homo usum rationis habens, debitam materiam & formam adhibendo cum Intentione Ecclesiæ, sive Sacerdos, sive Diaconus, sive Clericus, vel Laicus, vir, fæmina, judæus, hæreticus, paganus, excommunicatus sit. Hinc baptizatus a Christo vel Angelo non esset rebaptisandus ex sententia S Thomæ. Pater & Mater pueri sine solutione conjugii & præjudicio debiti matrimonialis possunt in casu urgentis necessitatis conferre baptismum.

Patrinus. saltim unus vel ad summum duo in Baptismo solemniter dando adhiberi debet, qui sit baptisatus & usum rationis habeat.

Qui contra facit peccat mortaliter.

Nec Episcopus dispensare potest ut plures sint Patrini, quando Concil: Trid: ad summum duos ordinat.

Si plures adhibentur omnes contrahunt cognationem cum ipso Baptizato & cum ejus parentibus.

Patrini designati a parentibus contrahunt, sed a Parocho designati non contrahunt cognationem.

Levans de fonte Procurator pro alio non contrahit sed ejus Principalis cognationem.

Levantes quando adimplentur ceremoniæ non contrahunt. sed qui ex fonte.

Levantes filium infidelis alicujus non contrahunt cognationem cum parentibus.

Hæretici excommunicati facinorosi licite non possunt adhiberi pro Patrinis.

In casu necessitatis & privato in baptismo ex sola aqua validum est baptisma sine Patrino.

Subiectum capax Baptismi. est omnis & solus homo adhuc viator sive infans, sive adultus, ac etiam perpetuo amens. Monstrum genitum ex viro & fæ-

mina si habet partes principaliores corporis, & quando agnoscatur habere circa duplex corpus, duplicem animam, duplici respective baptismo baptisari debet.

Infidelium filii valide possunt baptisari invitis parentibus, quia in infantibus non requiritur dispositio & fides Parentum, qui in fide totius Ecclesiæ & secundum voluntatem Christi baptizantur.

Tanto magis filii Apostatarum a fide Hæreticorum cum ipsos parentes Ecclesia cogere potest ad servandam fidem.

Licite filii Infidelium possunt baptisari invitis parentibus in quatuor casibus.

1. Si ejus Pater vel Mater convertatur ad fidem. talis enim consentientis est melior conditio, quod etiam intelligendum de Avo & Tutore converso-

2. Quando unus ex Parentibus Infidelibus consentit.

3. Quando infans constitutus est in periculo mortis, quia talis extrema necessitas præponderat jus, sed hoc caute faciendum.

4. Quando filii pervenerint ad usum rationis.

Ad valide suscipiendum baptisma in Adultis requiritur consensus voluntarius,

Sed ad fructuose fides & dolor de peccatis commissis ultra originale quod per baptisma tollitur.

Effectus sequitur triplex ex Baptismo.

1 Gratia sanctificans & simul habitus supernaturales fidei, spei & charitatis, per quam gratiam deletur originale & omnia simul alia peccata, si quæ sunt ante Baptismum.

2. Remissio omnis pœnæ proprie dictæ pro peccatis debitæ.

3. Character indelebilis per quem pertinet ad Ecclesiam.

Baptismus Triplex in sua divisione est: *Fluminis* de quo dictum manet, *Flaminis* seu desiderii & *sangvinis*,

SACRAMENTUM
Confirmationis.

Institutum. ante Passionem Christi, & probabilius in Cæna quando Christus lavit pedes Discipulorum.

Materia Remota. Chrisma compositum ex oleo olivarum & Balsamo ab Episcopo benedictum

Proxima. est unctio facta in fronte in forma crucis ab Episcopo.

Forma remota. verba: *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in Nomine Patris* &c. *Proxima* ipsa eorumdem verborum prolatio.

Minister Ordinarius Episcopus, Extraordinarius de licentia Summi Pontificis potest esse Sacerdos.

Patrinus. debet esse Confirmatus sed non idem qui in baptismo adhibitus fuit.

Subjectum. Est omnis homo baptizatus & non confirmatus, permittens tamen bis confirmari & bis confirmatus non fiunt irregulares.

Quamvis valide confirmari possunt Infantes, non tamen licite.

Sed amentes, furiosi, muti licite.

Pueri confirmandi debent esse in doctrina Christiana instructi ut sint capaces Confirmationis.

Dispositio. In Adultis & mente sanis requiritur ad valide, Intentio, ad licite, status gratiæ.

Effectus Augmentum gratiæ habitualis & jus ad gratias actuales roborativas ad fidem fortiter profitendam. 2. Character.

Tenentur recipere neceſſitate præcepti qui ordinandi ſunt.

SACRAMENTUM
Euchariſtiæ.

Inſtitutum. in ultima cæna quando per illam pavit Chriſtus Apoſtolos ſuo corpore & Sangvine.

Materia. Panis triticeus & vinum ex vite utrumque uſuale. Hinc Panis in quo loco aquæ adhibita fuit roſacea vel quid ſimile non erit panis uſualis, aut ſi addatur aliquid non erit communis.

Inſufficiens. eſt materia panis: ex ſola ſiligine, hordeo, avena, amigdalis, fabis & ſimilibus.

Inſufficiens materia vini: imbibiti in pane, vinum ex fructibus pomi, malogranatorum &c. expreſſa imo & ex vite ſi uvæ fuerint immaturæ aut penitus deſtructæ. Vinum in acetum verſum vel nimis adaquatum.

Congælatum autem vinum valide quidem conſecratur ſed illicite.

Aqua miſcenda. eſt vino consecrando ſed in modica quantitate *ex Florentino* ad deſignandum effuſum fuiſſe ſangvinem ad extremum cum aqua ex latere Chriſti.

Præſentia Materiæ ad Conſecrandum debet eſſe moralis & in tali quantitate ut ſit viſibilis ſaltim mediate.

Moralis ut per ſola pronomina demonſtrativa hoc hic oſtendi queat, utque inter materiam & conſecrantem non interjaceat corpus aliquod per modum dividentis.

Viſibilis in actu primo nam cæcus Sacerdos poteſt conſecrare.

Mediate ex: gr: valide conſecratur cumulus particularum ubi non omnes videntur.

Particulæ non conſecratæ mixtæ conſecratis ſunt conſecrandæ dirigendo Intentionem ad non conſecratas.

Guttæ vini adhærentes calici viſibiles non ſunt licite conſecrandæ ſed abſtergendæ. Viſæ autem modo poſt Conſecrationem non ſunt defacto conſecratæ, quia ad illas non fuit directa Intentio.

Forma Conſecrationis Panis eſt.

Hoc eſt enim Corpus meum. enim quidem non eſt de eſſentia ſed de præcepto ad faciendam connexionem cum prioribus verbis.

Vini. *Hic eſt enim Calix Sangvinis mei. novi & æterni Teſtamenti &c.* non ſunt de eſſentia ſed de præcepto pro deſignando myſterio Paſſionis Chriſti.

Hoc hic particulæ demonſtrativæ non proferuntur neque tendunt adverbialiter ſed nominaliter & adjective. Hinc particulæ Iſtud, ecce, non variarent ſubſtantiam, ſed illud variat, quia non eſt pronomen demonſtrativum.

Senſus verborum Conſecrationis.

Debet eſſe iſte: Hoc edulium eſt Corpus meum. Hic potus eſt Sangvis meus.

Dicitur autem Calix Sangvinis mei. 1. per figuram continens pro contento. 2. per Metaphoram quod calix ſignificat Paſſionem Chriſti & mortem quæ per conſecrationem ſeparatam a corpore repræſentatur.

Verba Conſecrationis eſſentialia proferuntur.

Enuntiativè ſimul & ſignificativè.

1. *Enuntiative* idem eſt ac materialiter recitative

& historicè id est referendo quod Christus dixerat.

2. *Significative.* id est ac assertive hoc est quod Sacerdos in Persona Christi dicendo: Hoc est Corpus meum verum, asserit quod profert.]

Dicuntur etiam.

Serio id est cum intentione actuali.

Imperative. formaliter & effective inquantum Sacerdos habet potestatem conficiendi Corpus & sangvinem ita plena fide hoc eventurum speret,

Tandem ex Rubro Missalis.

Secrete. non sonora voce, non tædiosa mora incubando diutius aut sibillando nimis ultimas syllabas.

Distincte non syncopando verba vel deproperando.

Attente. sine distractione sed serio:

Transsubstantiatio.

Est conversio totius substantiæ panis & vini in Corpus & Sangvinem Christi.

Accidentia sine subjecto miraculosè conservantur a DEO qui in genere causæ efficientis est sustentans accidentia.

Substantia Panis & Vini annihilatur non eo sensu quasi reducatur ad nihil sed inquantum desinendo esse, convertitur totaliter in aliud scilicet in Corpus & Sangvinem Christi.

Continetur Christus sub speciebus modo ineffabili quia unitur speciebus intima unione, ratione cujus manducatur Christus vere, quando manducantur species. Ponitur Christus in loco ubi ponuntur species & movetur quando moventur species.

Existit Christus sub speciebus non circumscriptive ita ut singulæ partes sint extra se invicem positæ & occupent distinctum locum. sed definitive,

id eſt, quod totus Chriſtus ſit in tota Hoſtia & totius in qualibet parte Hoſtiæ ſive diviſæ ſive conjunctæ.

Vi verborum Conſecrationis ponitur ſub ſpeciebus Panis Corpus & ſub Vini Sangvis, reliqua ponuntur concomitanter ratione unionis Phyſicæ Corporis cum ſangvine ponitur concomitanter ſangvis, ubi ponitur Corpus &c.

Etiam tota Sanctiſſima Trinitas ponitur concomitanter, quia dum ponitur Perſona verbi ejuſdem naturæ eſſentiæ & Divinitatis neceſſe eſt. ut etiam Perſona Patris & Spiritus Sancti per circum inſeſſionem ponatur.

Utraque ſpecies neceſſario eſt conſecranda non neceſſitate Sacramenti, ſed neceſſitate Sacrificii.

Effectus Sacramenti Euchariſtiæ cauſat.

1. Augmentum gratiæ Sanctificantis, non ex tunc, quando ſpecies ponuntur in ore, ſed quando per modum cibi deferuntur ad ſtomachum.
2. Delet venialia.
3. Præſervat a mortalibus.
4. Dulcedinem Spiritualem confert,
5. Spondetur & datur pignus futuræ gloriæ: Qui manducat hunc Panem. vivet in æternum.

De Sacrificio.

Quod eſt oblatio externa rei permanentis a publico Miniſtro facta in cultum DEI & conteſtationem ejus in nos ſupremi dominii & noſtræ erga eum ſubjectionis cum deſtructione ſeu immutatione rei oblatæ.

Veteris Legis ratione materiæ oblatæ triplex.

1. *Victima* ſeu hoſtia ex Quadrupedibus.

2. *Immolatio* rerum inanimatarum ſolidarum.
3. *Libamen* rerum liquidarum.

Ratione modi offerendi triplex.

1. *Holocauſtum* ubi tota res deſtrubatur ut nihil inde cederet in uſum hominum.

2. *Hoſtia pacifica.* cujus una pars cremabatur, ſecunda erat Sacerdotum, tertia in uſum cedebat offerentium.

3. *Hoſtia pro peccato.* cujus una pars cremabatur, altera cedebat in uſum Sacerdotum in atrio templi veſcentium.

Ratione finis quadruplex.

1. *Latreuticum* ad ſolum cultum DEI.
2. *Euchariſticum* in gratiam actionem pro acceptis.
3. *Impetratorium* pro obtinendis beneficiis.
4. *Satisfactorium* pro peccatis.

Sacrificium Miſſæ.

Complectitur omnia veteris Legis Sacrificia. Fatetur Ecclefia in oratione Miſſ: *Deus qui legalium differentiam hoſtiarum unius Sacrificii perfectione ſanxiſti* & *Trident Seſſ:* 22. *Cap:* 1.

Ratione Rei oblatæ unicum eſt Legis Novæ in Miſſa Sacrificium verum quod Christus obtulit in cruce cruentum quia in Miſſa eſt repræſentatio ejusdem per diſtinctam formam conſecrationis Calicis: & eſt incruentum quia ſine Sangvinis effuſione offertur *Trid: Seſſ:* 22.

Publicus Miniſter eſt Sacerdos, qui in Perſona Chriſti & ex inſtitutione ejus offert. *Trident:*

DEO offertur Sacrificium ex Corpore Chriſti quod eſt unitum Divinitati Filii DEI, & hoc intelligendum eſt, cum Chriſtus ſit DEUS & homo ut DEUS

eſt ille cui immolatur, ut Homo eſt victima immolata.

Immutatur res oblata id eſt Chriſtus. 1. Non Phyſice ſed moraliter inquantum vi Conſecrationis ſeparatæ a ſuo ſtatu naturali, mutatur inSacramentalem atque uſum cibi. 2. Non ſubſtantialiter ſed myſtice inquantum per ſeparatam Sangvinis Conſecrationem repræſentatur incruenta mors Chriſti hinc

Eſſentia Sacrifici Miſſæ conſiſtit in conſecratione Corporis & Sangvinis ubi & victima & Miniſter principalis eſt Chriſtus, tum Sacerdos minus principalis ſed proximus Miniſter atque Fideles minus proprie ut habetur in Canone: Qui Tibi offerunt hoc Sacrificium Laudis.

Effectus Sacrificii Miſſæ Quintuplex

1. *Latreuticus*, quo exhibetur DEO cultus debitus.
2. *Euchariſticus* in gratiarum actionem.
3. *Propitiatorius* augmentum gratiæ.
4. *Impetratorius* gratiarum.
5. *Satisfactorius* pro peccatis.

Valor Sacrificii Miſſæ eſt infinitus ex parte principali offerentis & victimæ oblatæ, ſed ex parte Miniſtri & effectus producendi eſt finitus.

Eccleſia enim a DEO illuminata pro eadem re plura offert Sacrificia Unde videtur eſſe ex voluntate Chriſti inſtitutum, ut Sacrificium Miſſæ quo ad effectum producendi non ſit infiniti valoris.

Fructus applicabilis ſeu valor Miſſæ.

1. *Generalis* toti Eccleſiæ.
2. *Specialis* Sacerdoti celebranti.
3. *Medius* pro ſtipendio & obligatione.

Quartus addi poteſt pro Fidelibus Defunctis.

Applicari debent ante Conſecrationem, & longe ante, non vero poſt Conſecrationem.

Sacrificium Euchariſticum & Miſſa quam pluri-

mum ſumuntur pro eodem non ſunt tamen idem, nam Miſſa eſt continens Sacrificium. & Sacrificium continetur in Miſſa ut loquitur *Trident: Seſſ:* 22. *C.*2.

DE PÆNITENTIA.

Ut Virtus eſt habitus inclinans ad dolorem de peccatis cum pr poſito de cætero non peccandi.

Ut Sacramentum eſt abſolutio hominis pænitentis facta certis verbis cum debita Intenti ne a Sacerdote jurisdictionem habente ex Inſtituti ne Divina efficaciter ſignificantibus Abſolutionem animæ a peccato.

Inſtitutum a Chriſto Domino poſt Reſurrectionem Joan: 20. *Accipite Spiritum S. q orum remiſeritis peccata.* &c. ſed ante mortem Chriſti id Petre fuit promiſſum. *Tibi dabo claves, quodcunque ſolveris erit ſolutum.*

Materia Remota. peccata *Neceſſaria* mortalia poſt Baptiſmum commiſſa necdum confeſſa. *Sufficiens* venialia & confeſſa mortalia.

Proxima materia contritio, Confeſio, & ſatisfactio quamvis nonnulli DD. ſatisfactionem volunt eſſe partem tantum integralem.

Forma Verba ego te abſolvo, a peccatis tuis &c. & de eſſentia Sacramenti ego te abſolvo, reliqua autem non ſunt omitenda, ſicut aliæ preces non facile omittantur.

Contritio.

Imperfecta. ſeu Attritio eſt dolor animi &. deteſtatio peccati contra DEUM commiſſi ob turpitudinem peccati, metum, gehennæ cum firmo propoſito non peccandi de cætero.

Hæc ſufficit in Sacramento Pænitentiæ ad juſtificationem *Trid: Seſſ.* 14. *c.* 4.

Ut hæc Attritio cum Sacramento ſufficiat ad ſa-

lutem debet esse ex motivo supernaturali non naturali. 2. debet esse cum inchoativo amore. 3. Conjuncta cum proposito non peccandi.

Perfecta Contritio est dolor animi ac detestatio peccati propter DEUM summe dilectum cum firmo proposito non peccandi de cætero.

Dicitur summe dilectum quod Contritio debeat esse ex amore Bonitatis Divinæ.

Amor DEI appretiativus est quando nullius creaturæ amore vel timore velimus DEUM offendere aut ab ejus amore recedere, & hoc modo omnes homines debent amare DEUM in vita.

Intensivus amor est vehementior omni alio & talis in vita vix contingere potest, sic parentes vehementer amant filios, quamvis DEUM appretiative plus diligant.

Actus Contritionis.

Juxta formam Benedicti XIII, in Appendice ad Concil: Roman: Lateran: 1725. celebratum.

DEUS meus & Dominus meus cum sis summum, infinitum & perfectissimum bonum amo Te super omnia. & ideo me pænitet ac ex toto corde doleo, quod Te toties offenderim peccatis meis, abominor ea, & detestor super omnia alia mala maxima cum displicentia. Rogo humiliter veniam, cum firmo proposito Tua gratia auxiliante Te in posterum non amplius offendendi.

Sicut dolor de peccatis debet esse generalis de omnibus mortalibus nec dum confessis & securius totius vitæ Ita propositum non peccandi debet esse generale alias non esset sufficiens propositum cavere aliquod peccatum.

Actus Contritionis debet præcedere confessionem & præsupponit examen conscientiæ, quod totum una cum confessione debet facere unum Actum Pænitentiæ moraliter vel saltim Absolutionem Actus doloris necesse est præcedat.

CONFESSIO.

Eſt accuſatio legitima de peccatis propriis} facta coram Sacerdote ad eorum veniam impetrandam virtute clavium.

Sit ſimplex, humilis Confeſſio pura fidelis.
Atque frequens, nuda & diſcreta. libens verecunda.
Integra, Secreta, & lachrymabilis accelerata.
Fortis. & accuſans, & ſit parere parata.

Omnes hæ conditiones valde ſunt utiles & proficuæ, ſed præcipue tres neceſſariæ omnino.

DOLOROSA. cum vero dolore & propoſito ad hanc reducuntur.

Humilis corde & corpore compoſito.

Libens voluntario animo recipiendi Sacramentum.

Diſcreta honeſtis verbis & Confeſſario idoneis.

Verecunda. non hiſtorice ſed alias cum abominatione.

Lachrymabilis cum ſincera deteſtatione.

Parere prompta in acceptanda pænitentia, vitandis occaſionibus proximis, in reſtitutione male ablatorum.

VERA abſque falſitate, ſimulatione & deceptione ad hanc reducuntur 5.

Simplex non artificioſa ad obfuſcandam confeſſionem.

Pura bona intentione non ad pravum finem.

Fidelis verax.

Nuda non palliata verborum ambaginibus.

Accuſans ſeipſum non excuſans.

INTEGRA tum integritate formali quo ad omnia peccata mortalia necdum confeſſa, quorum hic & nunc recordatur, quam etiam integritate materiali quo ad omnia omnino nullo prorſus omiſſo.

Tum quoque quo ad numerum ſpeciem & cir-

cumſtantias ſpeciem mutantes, & nimis aggravantes ut dicetur de Actibus hominis.

Cauſæ excuſantes ab integritate materiali.

Ignorantia ſeu oblivio ſi præmiſſo ſufficienti examine non recordentur aut ignorent, ſed poſtquam devenerint tenentur confiteri.

Impotentia ut balbutientes muti in naufragio & periculo vitæ exiſtentes.

Grave damnum imminens pænitenti tertio & ipſi Confeſſario prout poteſt occidere. Fæminæ alias habenti experientiam, ſi confiteretur peccatum carnis eſſet occaſio ſolicitationis, item Confeſſarius tempore peſtis.

Ad Integritatem reducuntur.

Fortis ne ex inani verecundia aliquid omittatur.

Secreta coram ſolo Sacerdote auricularis ex inſtitutione Chriſti ut docet Trident: alias Confeſſarius non eſſet obligatus ad ſigillum.

Satisfactio.

Eſt tertia pars Sacramenti Pænitentiæ, opus bonum pænale ad integritatem ſpectans a Confeſſario impoſitum ad pænæ temporalis peccatis confeſſis debitæ compenſationem ſeu ſolutionem.

Opera injungenda pro ſatisfactione ſunt.

Oratio, Jejunium, Eleemoſyna.

Doctrina Trident: Seſſ: 14 C. 8 circa injungendam pænitentiam Sacramentalem eſt.

Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.

DE CONSCIENTIA.

Quæ eſt dictamen rationis practicum dictans quid hic & nunc in particulari faciendum vel omittendum ſit; Differt a

Synderesi Quæ eſt habitus primorum principiorum moralium in generali, ut mentiri, eſt turpe, furari inhoneſtum.

1 *Recta Conſcientia* dictans abſque formidine de oppoſito ut Eleemoſyna eſt bonum quia eſt opus miſericordiæ.

2 *Erronea.* dictans abſque fundamento probabili.

Invincibiliter quando error ſuperari non poteſt.

Vincibiliter quando potuit error ſuperari, & hæc involvit peccatum.

Probabilis Quæ nititur ſolido fundamento, ſed abſolute fallibili.

3 *Probabilitas extrinſeca:* naſcitur ex authoritate Doctorum Docentium. Et hæc ſemper non eſt ſequenda propter Damnatam *ab Alexandro VII. propoſitionem Nro* 27.

Probabilitas Intrinſeca, oritur ex ipſa intrinſeca & ſolida ipſius ſententiæ ratione. Quæ ratio apta eſt prudenter perſvaſum intellectum rationalem reddere.

Et licet ſententiam Probabilem vere & ſolide talem quæ excludit omnem rationabilem formidinem falſitatis, & pariat certitudinem moralem ex eo, quod plures Authores vel ſolidam rationem, vel utrumque ſimul noſtro intellectui obicjiant poſſumus tuto ſequi cæterum in materia.

Sacramentorum conferendorum & ſuſcipiendorum in concurſu Probabilis cum probabiliore non eſt licitum ſequi minus probabilem ſed tutiorem.

In materia Justitiæ ubi agitur de damno proximi.

In Materia Medicinæ non potest eligi Probabilis pro tutiori propter damnatam *ab Innocentio XX. Nro* 1. & 3

Advocatus autem potest tueri partem quamvis judicat Contrariam veriorem quam fortassis Judici sua videbitur tutior & probabilior, tenentur tamen Advocati monere partem suam de minori probabilitate causæ, atque proximo periculo amittendi Expensas. Quod si non moneant tenentur ad restitutionem.

4 *Dubia* Neutri parti ex rationibus probabilibus præstat assensum.

Speculative Suspendit assensum in genere de liceitatre actus vg. Utrum tali die sit jejunium non sempe inducit peccatum.

Practicè Suspendit assensum immediate de proxima actione humana in particulari utrum licita sit vel ne: vg. utrum hodie teneor jejunare, hanc rem male possessam restituere

Operans itaque cum Conscientia Practice dubia peccat ejusdem speciei peccato cujus est Præceptum.

5 *Scrupulosa* Apprehendit malum ubi non est ex inani timore ex levissimis fundamentis & quasi ex habitu

Hæc. Conscientia in praxi dirigenda, vix aliquas potest habere regulas, hinc potius relinquitur Arbitrio boni viri & Consilio prudentis Confessarii. Quia multa sunt Privilegia Conscientiæ scrsupulosæ ad quam vincendam seu deponendam, vel altim temperandam persecta Pænitentis Obedientia est omnino necessaria.

DE ACTIBUS HUMANIS.

EST actus voluntatis liber elicitus cum advertentia ad aliquam Regulam morum.

Actus hominis, est actio quomodocunque ab homine elicita etiam Naturalis & indifferens: ut fricatio barbæ.

Voluntarium. Est actus derivatus a voluntate humana ex prævia cognitione intellectiva.

Volitum Desiderium rei, quæ non pendet a nostra determinatione, sic pluvia ab agricola est volita, non tamen ipsi voluntaria.

Involuntarium simpliciter. Quod voluntas absolute & independenter ab omni conditione non vult.

Secundum quid involuntarium quod ratione additæ Causæ est voluntarium, Ut projectio mercium in mare pro conservanda vita in Navi.

Violentia. seu vis ab alio illata causat Involuntarium simpliciter.

Metus gravis cadens in virum constantem duo requirit. 1. Ut malum de quo timetur sit malum ex natura: ut mors, captivitas, carcer, mutilatio stuprum. 2. Ut tale malum certo immineat.

Metus non causat involuntarium simpliciter sed tamen secundum quid: Ideo ex metu non licet eligere peccata, ut metu mortis, sacrificare idolis, Leges autem Ecclesiasticæ & humanæ cessant. Obligare in casu magni periculi & damni: Ut lex Jejunii, Matrimonii, sponsalitiorum, & Professionis.

Concupiſcentia. prout eſt amor, Deſiderium, Spes, Gaudium, Ira, ſi ſit antecedens, minuit voluntarium, ſed conſequens quæ voluntate propria excitatur facit voluntarium.

Ignorantia Eſt carentia ſcientiæ quam quis potuit habere.

Juris Dum Lex ignoratur.

Facti Dum in facto ignoratur. Ut ſi quis occidat hominem putans fuiſſe feram.

Invincibilis Quæ adhibita morali diligentia ſuperari non poteſt.

Vincibilis Quæ vinci potuit & ſuperari per diligens examen.

Affectata Qua quis neſcire affectat ut liberius poſſit peccare.

Craſſa Qua quis etiamſi directe non affectet neſcire, tamen non adhibet diligentiam neceſſariam ut ſciat quæ debet ſcire.

Ignorantia Invincibilis ſive Juris ſive facti ſicut tollit voluntarium ita excuſat a peccato. Vincibilis & affectata voluntarium auget & peccatum.

Craſſa minuit cognitionem & voluntarium. *Qui autem non cognovit & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Luc.* 12. *v.* 48,

Liberum non eſt idem ac voluntarium creſcente enim voluntario per concupiſcentiam minuitur liberum

Libertas naturæ Per quemlibet quævis natura ut ſine impedimento tendat ad ſuum finem ut aqua libere fluit.

Libertas arbitrii Eſt potentia activa quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere vel non agere.

Contrarietatis Qua quis poteſt agere & eligere ex duobus Contrariis. Ut bonum vel malum.

Contradictionis Quando poteſt eligere unum ex Contradictoris ut velle vel non velle.

Bonitas vel Malitia Actus Moralis Desumitur, ex Objecto, fine & circumstantiis.

Objectum Materiale circa quod versatur Actio.

Formale Est ratio sub qua tendit actio in objectum *Materiale* Ut sublevatio Pauperis est objectum formale Actus misericordiæ.

Ex utroque objecto Actus desumit suam bonitatem aut malitiam, præcipue tamen ex formali.

Finis cujus gratia aliquid fit.

Internus. Ad quem opus natura sua tendit, seu idem est objectum formale. Ut sublevatio Pauperis est finis internus Elemosinæ & dicitur finis operis.

Externus Ad quem opus ordinatur non ex natura sua sed ex intentione agentis: Ut remissio peccatorum est finis externus Elemosinæ & dicitur finis operantis.

Intermedius. Qui ita propter se expetitur ut nihil ominus ad alium ulterius consequendum ordinetur, sic pænitentia acceptatur & placet pænitenti ut reconciliet eum DEO.

Finis ultimus. Ad quem omnia referuntur. Quia eo obtento possidentur omnia quæ ad hominis perfectionem expeti possunt. Ac proinde in illo appetitus sentitivus plane conquiescit & sine fastidio satiatur, dicitur hominis beatitudo.

Beatitudo objectiva Est bonum summe perfectum

Formalis. est perfecta summi Boni possessio & fruitio

Omnia opera nostra dirigenda sunt ad DEUM tanquam ultimum suum finem & objectum suæ bonitatis saltim Intentione virtuali Mathæi 6.

Quærite primum regnum DEI &c. Quoniam homo in hac lachrimarum valle non potest semper de DEO cogitare actu; Necesse est ut virtute intentionis actualis Generalis quæ præcessit Opus prosequatur.

Actus indifferentes in individuo dari vel non dari magna contentione in scholis agitur. videtur innuere S Hieronymus Epistola 8va ad S. Augustinum *Bonum est Continentia, malum Luxuria, inter utrumque indifferens est ambulare manibus, capitis purgamenta proicere.* Non dari Apostolus videtur innuere *Omnia quæcunque facitis* &c. Impossibile enim est in hoc statu naturæ corruptæ, ubi caro concupiscit adversus spiritum, ut actus indifferentes exerceantur. Nisi enim ratio invigilet ut ad DEUM referantur semper procedent ex concupiscentia, ex motivo voluptatis, vanitatis, superbiæ, & sic semper mali erunt.

Circumstantiæ actuum Humanorum seu conditiones & accidentia quæ Actus Humanos concomitantur ut Persona. tempus, Locus &c.

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Circumstantiæ speciem mutantes sunt Quæ actus Humanos trasferunt ad aliam speciem virtutis vel peccati, quam habent ex obiecto.

Aggravantes Quæ malitiam actus ex objecto desumptam intra eandem speciem augent.

Notabiliter aggravantes. Quæ nimium intra eandem speciem malitiam actus augent.

Minus aggravantes. Quæ non ita agravant; ut furtum unius Obuli apud Divitem.

Ex Circumstantiis bonitas & malitia ita desumitur sicut ex objecto, quod sicut est Conforme vel difforme Naturæ rationali ita & Circumstantiæ. ex: gr: Si decet vestire nudum. quod est objectum misericordiæ tanto magis si nudus est Sacerdos, si est inimicus. si fiat pro exemplo. Item si turpe est spoliare proximum, turpius Pauperem. & Benefactorem.

Hinc in genere moris plures peccati species possunt concurrere in uno eodemque Actu propter

multiplices ejuſdem Actus Circumſtantias ut patet in Sacerdote inducente ad peccatum Conſangvineam Conjugem: 1mo. Contra votum Caſtitatis. 2do. Contra Charitatem. 3tio. Contra Religionem. 4to. Contra juſtitiam. 5to. Contra Reverentiam Conſangvineis debitam.

Et hæc omnia in Confeſſione aperienda ſunt ut definivit *Trid: Seſſ*, 14. *c.* 6

PECCATUM

Ex S. Auguſtino Libro 2do *de Conſenſu Evangeliſtarum eſt.*

Tranſgreſſio Legis.

Artis. Transgreſſio Regularum Artis.
Naturæ Legum Naturæ ut Monſtra.
Thæologicum Legis Divinæ ut S. Auguſtinus.

O Dictum factum contra Legem DEI.

Originale Ex Concilio Tridentino Seſſione 5*ta* illud Apli ad Romanos 5. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſit in quo omnes peccaverunt.*

Perſonale. Quod propria voluntate contrahitur.

Materiale Eſt Actus poſitivus quo peccatum patratur.

Formale Carentia rectitudinis debitæ Actui & Conformitatis ad Legem DEI.

Actuale Actualis tranſgreſſio Legis.

Habituale Eſt actualis Peccati Phyſicè completi moralis duratio.

Carnale Conſiſtens in delectatione carnis.

Spirituale In delectatione ſpirituali.

Occasiones Pecoati.

Ex Ignorantia vincibili affectata.
Ex infirmitate & passione humanæ carnis.
Ex malitia seu prava voluntate.
Commissionis Transgressio Legis negativæ.
Omissionis Transgressio Legis affirmativæ.
Oris Transgressio ore facta.
Operis Opere finita.

Specialiter.

Mortale Quod infert mortem spiritualem Animæ seu privat hominem gratia Sanctificante & amicitia DEI redditque dignum pœna æterna; vel Transgressio legis graviter obligantis.

Ad peccatum mortale hæc concurrere 1. Plena advertentia intellectus ad Legem. 2do Perfectus consensus in voluntate. 3. Gravitas materiæ prohibitæ vel Præceptum.

Unde si unum ex his desit non erit mortale sed ex Mortali fiet veniale & vocabitur veniale.

1. *Ex imperfectione Actus veniale* quod fit ex defectu Plenæ advertentiæ intellectus, aut ex defectu pleni consensus in voluntate.

2. *Ex parvitate materiæ veniale* Quod licet si ex genere mortalis peccati & sub gravi lege prohibiti ob gravitatem tamen materiæ fit leve Ut furtum unius oboli.

Peccatum. ex genere suo mortale est quod directe & ratione sui destruit charitatem DEI vel proximi.

Talia sunt ex genere suo quæ parvitatem Materiæ non admittunt.

1. Superbia. 2. Luxuria 3. Accedia 4. Invidia. 5. Odium DEI 6. Desperatio 7. Blasphæmia 8. Perjurium 9. Præsumptio 10. Sortilegium 11. Superstitio 12. Simonia.

Veniale Quod minuit in homine fervorem charitatis redditque dignum pœna tempo ali hujus vel alterius vitæ.

Ex genere ſuo veniale Quod verſatur circa materiam levis offenſæ Legis: ut mendacium jocoſum.

Veniale fit mortale per accidens. Quando non directe & ratione ſui deſtruit Charitatem DEI & proximi ſed ratione circumſtantiarum; quæ ſunt ſex.

1. *Ratione Conſcientiæ Erroneæ* Practicæ putando vel Erroneæ credendo ſe peccare mortaliter.

2. *Ratione finis mortalis:* Ut ornatus Mulieris ob illicium ad turpia.

3. *Ratione affectus nimii* Quando in Veniali constituitur finis ob quem vellet ſe reſolvere etiam ſi foret mortale quid.

4. *Ratione Contemptus formalis* nolendo obedire Legi vel Legislatori.

5. *Ratione Scandali* Quod ſecuturum prævidit aut prævidere debuit & potuit.

6. *Ratione periculi proximi* incidendi in mortale Ut Eccl: 3. Qui amat periculum peribit in illo.

Venialia delentur non tantum per ſacramentum Pænitentiæ ſed etiam per alia Sacramenta N. L. ritè ſuſcepta per Contritionem, Attritionem, actus aliarum virtutum, quibus opponebantur atque etiam per ſex.

Sacramentalia.

1. *Orans.* Oratio Dominica, Pater noſter.
2. *Tinctus* Aſperſio Aquæ Benedictæ.
3. *Edens* Suſceptio Sacramentorum, Agnus Paſchalis.
4. *Confeſſus.* Confeſſio Generalis.
5. *Dans* Opera Miſericordiæ Corporalia & Spiritualia.
6. *Benedicens* Benedictio Epiſcopalis.

Peccata Capitalia Virtutes oppositæ.

1. Superbia	Humilitas
2. Avaritia	Mundi Contemptus
3. Invidia	Charitas
4. Ira	Patientia
5. Gula	Sobrietas
6. Luxuria	Castitas
7. Acedia	Gaudium in Spi: S.

Superbia.

Est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ super alios, estque ex genere mortale.

Filiæ 3.

1. *Vana Gloria* seu cupiditas vanæ gloriæ, est veniale.

2. *Præsumptio.* Est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Est veniale.

3. *Ambitio* Est appetitus dignitatis, veniale, nisi obstet votum & incapacitas.

Comites 1. Inobedientia 2. Jactantia. 3. Hypocrisis 4. Contentio 5. Pertinantia 6. Discordia. 7. Curiositas.

Avaritia.

Est inordinatus appetitus habendi pecunias & Possessiones. quando adversatur Justitiæ, est Mortale, prout adversatur Liberalitati veniale.

Filiæ Septem.

1. *Violentia* Ut Furtum Rapina.
2. *Fallacia* Ut Dolus in Contractibus.
3. *Periurium.* Dolus Juramento structus.
4. *Fraus* Dolus in Re.

5. *Proditio* Dolus contra perſonam.

6. *Obduratio*. Cordis claudendo viſcera miſericordiæ ad preces pauperum.

7. *Inquietudo* Mentis exercendo ſuper vacuas curas in congregandis divitiis,

Invidia.

Eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ ſeu potius triſtitia de bono proximi ut diminutivo proprii boni ſeu propriæ gloriæ & excellentiæ eſt mortale quia lædit charitatem.

Triſtari autem quod nos tale quid non habemus non eſt peccatum invidiæ ſed potius zelus & æmulatio. ſi præcipue ſit de bonis honeſtis & laudabilibus;

Triſtari autem de bono alterius inquantum ſibi exinde imminet Periculum Nocumenti, eſt potius Timor.

Filiæ Quinque.

1. *Odium*.
2. *Suſurratio*.
3. *Detractio*.
4. *Exultatio* in adverſis Proximi.
5. *Afflictio* in proſperis ejuſdem.

Ira.

Eſt inordinatus appetitus vindictæ.

Filiæ Sex.

1. *Indignatio* Quod reputet ſe male tractari.
2. *Tumor mentis* Cogitando de modis nocendi.
3. *Clamor* confuſe effutiendo.
4. *Contumelia* Injurioſe obiiciendo.
5. *Blaſphemia* in DEUM & Sanctos convitiando.
6. *Rixæ* Uti leves pugnæ, ſeditiones, vulnera, Cædes.

Gula.

Eſt inordinatus appetitus Ciborum & Potus.

Filiæ Quinque.

1. *Hebetudo* mentis ad orandum.
2. *Immoderata.* Lætitia.
3. *Multiloquium*
4. *Scurilitas.*
5. *Spurcitia* & vomitus.

Luxuria.

Eſt inordinatus appetitus & uſus Venereorum ſeptem ſpecies hujus habentur ſub ſexto Præcepto

Filiæ 8.

1. *Cæcitas mentis* Qua fit ut non apprehendatur Bonum vel malum.
2. *Præcipitatio* Ut ſibi conſulere nequeat quæ agenda ſunt.
3. *Inconſideratio* Qui hac pice maculantur inconſiderate agunt.'
4. *Inconſtantia* Et ideo difficilis redditur curatio & Coſvetudinis omiſſio.
5. *Amor ſui* Qua ſe ipſum facit finem ſuarum actionum.
6. *Odium DEI* Quia abhorret a rebus Bonis ipſoque DEO tanquam peccatorum vindice.
7. *Affectus Præſentis ſeculi* Quia paratus eſt renuntiare æternæ beatitudini.
8. *Horror futuri ſæculi,* Quando deſperat de remiſſione.

Acedia.

Eſt triſtitia rerum Spiritualium. Mortale.

Filiæ ſex.

1 *Rancor* Contra eos qui ad Spiritualia opera inducunt.

2. *Puſillanimitas* Timendo exercere opera Spiritualia.

3. *Torpor* Sine fervore exercendo Opera Spiritualia.

4. *Deſperatio*. conſequendi æternam Beatitudinem & media.

5. *Evagatio mentis* Quando quis exercendo opera Spiritualia mente cogitat illicita.

6. *Malitia* Per quam odio perſequitur Bona Spiritualia, et vellet ea non eſſe, aut quia ipſum pænitet bene feciſſe, aut contemnit DEI beneficia deſiderando ſe non fuiſſe natum in rerum natura.

Peccata in Spiritum Sanctum quæ vocantur Irremiſſibilia.

1. *Præſumptio* de Miſericordia DEI. 2. *Deſperatio* propter miſericordiam ejuſdem DEI. 3. *Impugnatio* agnitæ veritatis 4. *Invidentia* Fraternæ Charitatis aut Gratiæ. 5. *Obſtinatio*. in Peccatis. 6. *Impœnitentia* finalis ſeu brevius.

Pneumatis eſt hoſtis 1 *Præſumens*. 2. *Spemque relinquens*,

3 *Impugnans verum* 4. *Doni Fratris malus oſor*.

5. *Induranſque animum Simul ac ſperneus*.

Peccata iu Cælum clamantia.

1. Homicidium voluntarium 2. Peccatum Sodomorum 3. Oppreſſio Pauperum 4. Merces fraudata operariorum & brevius.

Clamitat in Cælum vox: 1 *Sanguinis* 2, & *Sodomorum*.

3. *Vox oppreſſorum*, 4. *merces remorata Laborum*.

Peccata aliena 9.

Inquinat alterius vitiis se, qui male sanus.

1 *Consulit* 2. *Assentit.* 3, *Mandat.* 4. *Palpatque* 5. *Receptat.*

6. *Participatve* 7. *Silet* 8. *non Obstat* 9, *non Manifestat.*

D E

MINISTRO PÆNITENTIÆ

UT Sacerdos qua Minister Sacramenti Pænitentiæ valide administret extra casum articuli & periculi mortis præter Jurisdictionem ordinis necessario requiritur legitima approbatio ex Trident: C. 7.

Regulares præter approbationem Loci ordinarii indigent designatione, a suis superioribus.

In articulo mortis potest quilibet Sacerdos etiam non approbatus, imo & Excommunicatus, suspensus degradatus, Hæreticus, absolvere a Peccatis & censuris, sed ad hæc scienda sunt quæ dicta erunt quomodo procidendum cum moribundis.

Ad licitam & meritoriam Confessarii functionem obeundam requiritur.

Probitas Vitæ ut in statu gratiæ excipiat Confessiones alias toties peccaret quot numero absolveret Pænitentes.

Scientia conveniens id est saltim mediocris, ut

ſciat quæ ſunt peccata ex genere ſuo mortalia, quæ venialia, Regulas generales pro diſtinctione Numerica peccatorum, quæ Circumſtantiæ ſpeciem mutantes Regulas communes, quæ excuſant a præceptis, a Reſtitutione, & alias ſaltim unius authoris moralis Caſuum reſolutiones.

Prudentia Triplex *Circa ſe ipſum.* Ut curet conſervare puritatem conſcientiæ, non omittat Invocationem auxilii Domini, excitetque deſiderium augendi Gloriam & lucrum animarum. Cautus de propria ſalute excipiendo confeſſiones infirmorum & in adminiſtratione curet ſervare corporis compoſitionem & munditiem.

Circa Pœnitentes 1. Caute examinando. 2. Charitative inſtruendo. 3. Solide dubia reſolvendo. 4. Media & conſilia ſaluberrima dando. 5. directe corrigendo. 5. Summa Invigilantia cum conſvetudinariis procedendo.

Circa alias perſonas 1. Uniformitas in modo procedendi 2. ſubmiſſa voce loquendo 3. a geſtibus abſtinendo.

Confeſſarius eſt.

Judex de peccatis diſcutiendo. Judicando, & ſalutarem pænitentiam ac Satisfactionem injungendo vel negando abſolutionem.

Medicus Ut noverit ſuper infundere oleum & vinum ſauciato apponendo remedia Spiritualia & præſervativas.

Doctor ob ſcienttam & prudentiam qua præditus conſulere ſtatui pænitentis tenetur.

Quid agendum Confeſſario cum rudibus & pueris.

1 Pueri rationis capaces tunc erunt judicandi ad recipienda Sacramenta, quando Articulos Fidei neceſſarios neceſſitate medii ad minus noverint, pa-

riter materiam Sacramenti pœnitentiæ sciverint, & dolere de peccatis voluerint, cum proposito: alias erunt dimittendi.

2. Rudes similiter id ipsum tenentur scire & insuper examinandi sunt, de observantia Festorum, auditione Missæ. Injusta damnificatione, de Blasphemiis, imprecationibus, juramentis superstitione, Divinatioue, ebrietate, odio peoximi, & ira, ac sexto præcepto nimis caute.

3. Rudibus qui sufficientem Materiam coufessionis non valent edicere necesse est indicere ut faaeantur se esse peccatores & solum per suam ruditatem aliter non posse confiteri Et deinde una simul cum talibus elicere Actus Fidei, Spei, Charitatis Doloris & Propositi, ac deincep s absolutionem impertire.

Cum Fatuis.

1 Si plene sunt fatui & jam ab aliquo tempore, sunt incapaces absolutionis.

2 Si habent lucida intervalla & eo tunc quando fuerint dispositi rite absolvuntur & si taies sint in agone vi prioris in lucido intervallo petitæ Confessionis possunt absolvi sub conditione.

Cum surdis & mutis.

1 Surdorum confessiones excipiendæ sunt in loco a concursu hominum separato.

2. Muti nutibus ac gestibus ita exprim ant sua peccata ut saltim aliquid percipi possint, & insuper si doloris signa dederint absolvantur.

Cum Infirmis moribundIs.

1 Infirmis maxime attendendum ut dolorem sincerum de peccatis eliciant antequam absolvantur.

2 Si tenentur ad restitutionem eam pro possib ili faciant.

3. Si concubinarii concubinam dimittant.

4 Si consvetudinarii occasionem removeant.

5. Publice excomunicati debent deponere juramentum de stando mandatis Ecclesiæ & præsentandi se superiori si supervixerint.

6 Hæreticus in articulo mortis antequam absolvatur abjuret & detestetur errores suæ sectæ eliciat actum Fidei & sciat se esse obligatum si super vixerit ad præsentandum Episcopo.

7. Qui ex vulnere est morti proximus persvadendum ut ex toto corde dimittat proximo.

Cum Incarceratis ad Mortem.

1 Non potest suscipere in se patrocinium suplicii remittendi vel relaxandi nisi sciat quod Judex hæc prætendat.

2 Laboret pro modulo ut incarceratus dolorose confiteatur & pro peccatis doleat.

3. Si confiteatur crimen commissum quod coram Judice negavit, non adstringat ut omnino fateatur sed sufficit quod habeat propositum firmum fatendi si interrogatus fuerit.

4 Si incarceratus & morte plectendus confessus fuerit aliquem ex odio provocasse, inducat, ut revocet.

5 Si in bonis fortunæ ut fur damnificavit, & adhuc superest modus satisfaciendi, satisfactionem injungat.

6 Odium contra Judicem, Delatorem, Testes si habet omnino ut deponat.

7 Levem pænitentiam salutarem imponat, ac simul cum reo absolvat.

8 Si in loco suplicii adhuc Reus voluerit confiteri optimum est, nisi Judex denegaverit ipsum disponere ad verum dolorem de peccatis, alias eliciat cum eo actum Contritionis & denuo absolvat.

9. Decapitando Nomina JESUS MARIA tempestive insinuet, ne Reus ad hæc inclinando caput, mutando situm a carnifice infeliciter feriatur.

Cum Conſtitutis in occaſione proxima.

1 Non poſſunt abſolvi niſi ſerio proponant talem proximam occaſionem removendam.

2, Conſvetudinarii concubini niſi prius amoveant, non abſolvuntur & circa hoc ſunt Propoſitiones damnatæ una ab Alexandro VII. Nro 40. & ab Innocentio XI. Nro 61. & 62.

Cum Recidivis.

1 Ne per nimiam ſeveritatem pænitenti potius ſit occaſio ruinæ & deſperationis compatiatur ſi ſeriam emendationem proponit, relapſus enim non eſt ſignum falſæ pænitentiæ, ſed potius fragilitatis propterea diſcrete ſe gerat, Petro enim interroganti Math: 18. *Quoties peccabit in me Frater meus & dimittam ei: uſque ſepties, & Dixit JESUS: uſque ſeptuageſies ſepties.*

2 Ne per nimiam clementiam potius foveat peccata ſumma opus eſt prudentia quando debeat abſolutionem diferre.



D E RESERVATIONE CASUUM.

QUÆ eſt Negatio jurisdictionis ad abſolvendum ab aliquibus peccatis niſi in articulo mortis Trident Seſſio 14. Can: 11 & Cap: 7.

Poteſtas reſervandi eſt 1. In Summo Pontifice reſpectu totius Eccleſiæ.

2. *In Epiſcopo reſpectu* ſuæ Diæceſis.

3. *In Superiore Regul:* reſpectu ſuorum ſubditorum.

Sola peccata mortalia certa & externa in ſuo genere ſeu malitia ſpecifica opere conſumata poſſunt reſervari non vero interna.

Dubium morale ſive juris ſeu facti de reſervatione quæ eſt valde odioſa & ſtrictæ interpretationis. Unde ſi quis commiſit peccatum ſummo Pontifici reſervatum aut Epiſcopo ſed ob ignorantiam aut aliam cauſam a cenſura & Reſervatione excuſatur poteſt abſolvi ab inferiore.

PAPA Nullum peccatum mortale reſervat niſi annexam Excommunicacionem habeat; Excipe calumnioſæ denuntiationis Confeſſarium tanquam ſolicitantem.

Excommunicationes Bullæ Cænæ.

1 Hæretici, Apoſtatæ a fide, Fautores Defenſores Hæreticorum. legentes eorum libros de religione tractant-s, imprimentes, ac defendentes eoſdem, & Schiſmatici.

2 Appellantes a Sententia & mandatis Papæ ad futurum Concilium generale.

3 Pyratæ seu Latrunculi Maritimi eorumque fautores.

4 Rapientes bona Naufragantium Christianorum.

5 Imponentes nova Pedagia seu Gabellas præter habentes ad id authoritatem ut sunt Imperatores, Reges, Principes absoluti in suis terris.

6 Falsificantes Literas Aplicas.

7 Deferrentes arma & alia usui bellico inservientia ad Saracenos, Turcas, & Hæreticos declaratos.

8. Impedientes victualia Romam vehentes.

9. Afficientes injuriis eos qui accedunt Sanctam Sedem.

10 Vexantes Romipetas.

11 Offendentes Cardinales & Ecclesiæ Prælatos.

12 Offendentes, recurrentes ad Curiam Romanam pro negotiis, negotiorumque gestores.

13 Appellantes a gravamine vel futura executione Literarum Apostolicarum, ad Laicam potestatem.

14 Officiales & alii qui causas Ecclesiasticas avocant a Judicibus Ecclesiasticis.

15 Judices Sæculares qui personas Eclesiasticas ad sua Tribunalia trahunt.

16 Impedientes Prælatos ne Jurisdictione sua Ecclesiastica utantur.

17 Usurpantes jurisdictionem Sedis Apostolicæ aliarumque Ecclesiarum seu fructus reditus ac proventus earum.

18 Imponentes decimas vel alia onera personis Ecclesiasticis.

19 Judices Sæculares qui in causis capitalibus Clericorum se se interponunt.

20 Occupantes terras & Bona Ecclesiæ Romanæ et supremam jurisdictionem in illis usurpantes.

Excommunicationes Pontifici refervatæ Jure passim per plurimæ numerantur, potiores sunt.

1 Sacrilegi effractores Ecclesiarum ut eas spolient.

2 Vexantes eos qui in aliquos Censuras tulerunt.

3 Dantes vel recipientes ob ingressum Religionis.

4 Simoniaci in Ordine, Beneficio,

5 Ingredientes clausuram monialium.

6 Duellum & illud consulentes permittentes.

7 Dantes & recipientes pro gratia vel justitia apud Sedem Romanam.

8 Extrahentes ex asylo, illo gaudentes.

9 Docentes & defendentes propositiones damnatas.

10 Regulares administrantes Sacramenta sine licentia.

11 Regulares Apostatæ a religione quamvis maneant in fide Catholica, non possunt absolvi nisi a suo Prælato.

12 Absolventes a casibus Bullæ Cænæ.

13 Absolventes a casibus Episcopo specialiter reservatis.

14 Communicantes in eodem crimine cum Excommunicato a Papa.

15 Violantes interdictum Papale.

16 Facientes jurare contra libertatem Ecclesiasticam.

17 Perseverantes in excommunicone per annum.

18 Parochi non implentes Juramentum de residentia.

19 Absoluti ab excommunicatione sub conditione eandem non implentes.

20 Alterutram opinionem de Conceptione B. V. MARIÆ impugnantes.

21 Regulares inducentes ad eligendam Sepulturam.

22 Regulares Superiores non denuntiantes suos de fide suspectos.

23 Domini temporales qui in terris suis suppositis interdicto cogunt ad Divina.

24 Domini facientes Banniri Eclesiasticos.

25 Violantes Clausuras Religiosorum vel monialium ad malum finem.

26 Superiores permittentes ingredi monasteria contrario sexui prætextu facultatum &c ac ingredientes.

27 Defendentes esse licitam praxim excipiendi nomen complicis in confessione.

28 Absolventes suos complices, circa sextum præceptum Decalogi.

29 Percussio Clerici, sunt & aliæ quam plurimæ Excommunicationes sed cum judicium Sacramentale exercetur humano modo & quantum memoria potest tenere humana hæc præcipua sufficiant de reliquis in casu consulendi authores.

Absolutio ab excommunicationibus & casibus reservatis Pontifici per Trident: competebat loci ordinariis. Sed propter particulas derogativas in Bulla Cænæ quasi quilibet Episcoporum desuper impetrat sibi Privilegium absolvendi ab omnibus etiam in Bulla Cænæ contentis non solum pro foro interno sed etiam externo

Regulares mendicantes per speciale Privilegium Lib: 5. Decret: 7 & 39 possunt absolvere pro foro Conscientiæ tantum ab omnibus J. C omni reservatis Papæ, sæculares Exceptis in Bulla Cænæ.

Episcopus non habens Privilegium absolvendi a casibus Bullæ Cænæ adhuc potest absolvere suos subditos si habent impedimentum adeundi Romam ut versibus declaratur.

Regula, Mors, Sexus, Hostis, Puer, Officialis.

Deliciosus, inops, ægerque senexq;
Sodalis.

Janitor adstrictus, Dubius Causæ levis ictus.

Debilis absolvi sine summa sede meretur.

Ob horum impedimentorum aliquod absolutus sic, habet obligationem adeundi Romam cessante impedimento, alias reus esset inobedientiæ.

Casus Episcopo reservati videndi erunt in qualibet pespective Diæcesi a quibus nisi obtenta specialiter licentia non possunt inferiores atque etiam mendicantes absolvere.

Regularibus circa Reservationem, hæc tria scienda.

1 *Confessarii Regulares* ut dictum est, possunt absolvere in foro Conscientiæ, Sæculares ab omnibus Censuris Papæ reservatis jure communi non autem Bullæ Cænæ. Item dispensare in votis ut dictum est de voto.

2 *Prœlati Regulares* id est Generales & Provinciales possunt suos subditos ab omnibus absolvere reservatis etiam in Bulla Cænæ, exceptis 5. casibus scilicet 1 Schisma 2. Hæresis 3. Falsificatio Literarum Apostolicarum 4. Delatio prohibetur ad Infiideles. 5 Conspiratio in Remanum Pontificem.

3. *Ex Constitutione* Clementis VIII. Prælati Regulares id est Generales Provinciales respectu suorum possunt sibi res rvare Hos undecim casus.

1 Apostasia a Religione etiam retento Habitu.
2 Nocturna ac furtiva e Monasterio egressio.
3 Veneficia Incantationes, & Sortilegia.
4 Proprietas contra votum paupertatis mortale.
5 Furtum mortale de rebus monasterii.

6 Lapſus Carnis voluntarius opere conſumatus.
7 Juramentum falſum in legitimo judicio.
8 Procuratio Conſilium abortus etiam non ſecuto effectu
9 Occiſio vel vulneratio ſeu percuſſio gravis cujusvis.
10 Falſificatio manus aut Sigilli officialium Conventus.
11 Malitioſum Impedimentum retardatio vel aperitio literarum ad Superiores vel contra.

Ultra hos 11. ſine aſſenſu Capituli Generalis pro toto ordine, & Provincialis Capituli pro Provincia non poſſunt Superiores ſibi reſervare.

Diverſæ Religiones de aſſenſu Capitulorum auxerunt numerum Reſervatorum.

1 Pollutionis voluntariæ ſi non eſt comprehenſa ſub lapſu carnis &c.
2 Inobedientia poſt trinam monitionem per tria temporis intervalla intra unam diem perdurans.
3 Blaſphemia in DEUM & Sanctos.
4 Secretum in Religionis detrimentum patefacientes.
5 Rerum extra Religionem alienatio
6 Libellum famoſum ponentes
7 Contra Prælatum machinantes.
8 Detrahentes famæ Religioſorum, & non denuntiantes Detractores.

DE SIGILLO Confeſſionis.

QUÆ eſt obligatio ex Jure Naturali Divino & Eccleſiaſtico in Secreto ſtricto tenere tam pec-

cata in Sacramentali Confeſſione audita, quam complicis peccata & peccatorum Circumſtantias & potius mortem ſubire, quam ea revelare.

Neque directe expreſſe patefaciendo.

Neque indirecte geſtibus vel ſignis in notitiam ducendo.

Ad hoc Sigillum ſervandum tenéntur pænitentes, audientes aliorum confeſſiones, nec tam facile ſibi injunctas poſſunt manifeſtare pænitentias.

Notitia Confeſſionis nullatenus licet uti ad regimen, vel ſe defendendum, niſi aliunde ad hæc darentur motiva.

Neque cum Pænitente extra Confeſſionem licet loqui de Confeſſis, niſi cum ejus licentia & cauſa conſulendi cum Doctore de ejuſdem licentia.

Nihil ominus licite poteſt uti Confeſſarius notitia Confeſſionis ad actiones non aferentes nilum prorſus incommodum pænitenti vel complici ſic *ex. gr:* Concionator Scriptor ſua poteſt facere ex hac notitia, dummodo ita fiat ut odioſam non reddat Confeſſionem.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

PER quod datur Poteſtas Spiritualis ordinato ad aliquod Miniſterium circa Euchariſtiam digne exhibendum

Septem ſunt Ordines in Eccleſia DEI, Quatuor minores. 1. Oſtiariatus, 2. Lectoratus, 3. Exorciſtatus 4. Acolythatus & tres majores. 1. Subdia-

conatus. 2. Diaconatus 3. Presbyteratus seu Sacerdotium ita Trident:

Episcopatus est quidem propriè dictus Ordo sed commode refertur ad ordinem Sacerdotii iuxta idem Trident: Sessio 23. cap: 4.

Prima Tonsura.

Est prima dispositio ad ordines & deputatio ad cultum DEI & ideo vocatur Psalmista.

Ad valide recipiendam Tonsuram requiritur ex parte subjecti 1, Sexus Masculinus. 2 Baptismus. 3. usus rationis. 4. voluntas recipiendi.

Ad Licitam 1 Sacramentum Confirmationis 2. Ætas saltim septem annorum 3. Literatura sufficiens ut sciat in lingva vulgari respondere circa rudimenta fidei 4. Non esse irregularem aut al qua censura innodatum 5. Intentio serviendi DEO.

Instituta est Tonsura ab Apostolis, & quidem principaliter a D. Petro in memoriam Spineæ Coronæ.

Loco Materiæ sunt Capilli & *loco formæ* sunt verba Dominus pars hæreditatis meæ &c.

Minister est proprie Episcopus ordinarius & ex Privilegio Abbates.

Effectus Tonsuræ sunt illi qui correspondent fini Tonsuræ nempe 1. Clericatus qui complectitur deputationem ad servitium Ecclesiæ. 2 Capacitas Beneficiorum & Privilegiorum.

Gratia & Character non est effectus Tonsuræ, quia non est Ordo sed dispositio ad Ordines.

Officium Tonsurati est Ecclesiæ servire & canere Psalmos.

Obligatio Tonsurati. Incedere in Habitu & Tonsura.

Vestis Tonsurati Inservientis Ecclesiæ superpeliceum quod significat Innocentiam restitutam Adæ cui DEUS dedit vestem superpelliceam & B rretum in modum Crucis confectum quo significatur Clericum crucem Christi in mente & mortifica-

tionem

tionem in Corpore deferre debere. *In Birreto quatuor anguli*, Quatuor Crucis partes significant. Insuper quatuor ligni species quibus Christi Crucem conflatam fuisse asserunt SS. PP. & Glossa in 1mam Clem: de Summa Trinitate,

Quatuor ex lignis Domini dicitur esse.

Pes Crucis est Cedrus, Corpus tenet alta Cupressus.
Palma manus retinet, titulo letatur Oliva.

Privilegia Clericorum. 1. Fori quod est Immunitas & exemptio a foro saeculari. 2. Canonis vi cujus svadente Diabolo non potest injuriari &c.

Privilegiis renuntiare nequeunt, sine praejudicio Ecclesiae illorum quemquam offendere est Ecclesiam &c.

Prohibita Clericis.

1. Sordida mercatura. 2. Officia Saecularia 3. ferre sententiam Sangvinis vel saeculares Procuraturas exercere. 4. Jnteresse Excutioni Capitalis sententiae 5. Lusus, spectacula, Choreae, Arma deferre, pugnare in bello. 6. Venatio Clamorosa 7. Cohabitatio cum mulieribus.

Ostiaratus.

Per quem datur spiritualis potestas Aperiendi claudendi & custodiendi Eclesiam.

Materia remota Claves cujuscunque Materiae sint aptae ad aperiendum, tutius ipsius Eclesiae *Proxima* Jllorum Traditio.

Forma sunt Verba circa traditionem clavium ab Episcopo prolata: *Sic, Age quasi DEO rationem redditurus pro his rebus quae his Clavibus Clauduntur.*

Institutus a Christo quando ejecit de templo ementes & Vendentes. & ut aliis placet, in ultima Cæna.

Minister Episcopus proprius nullo Canonico impedimento impeditus vel alienus Episcopus cum dimissoriis

Ad valide ex parte Ministri Intentio Conferendi Ordinem vel saltim faciendi quod facit Ecclesia, 2. Materia & forma.

Ex parte Suscipientis 1. Sexus masculinus, Baptismus & Intentio debita.

Ad licite ex parte Ministri ut non sit impedimento aliquo innodatus & Status gratiæ pro se.

Ex parte suscipientis 1. Status Gratiæ 2. Prima Tonsura 3. Ætas competens ab Ecclesia præscripta 4. Scientia correspondens. 5 morum probitas de qua Ordinandi debent habere Testimonium 6. Ut nullo Canonico impedimento sit innodatus 7. determinata tempora ab Ecclesia instituta.

Effectus hujus ordinis: *Character* seu Potestas spiritualis Claudendi & Aperiendi Ecclesiam 2. *Gratia* qua possit digne sua ministeria implere.

Hæc potestas refertur ad Eucharistiam Quia ostiarius dignis Aperit, & ab indignis custodit Ecclesiam.

Quod sæcularis ex commissione non ex officio facere potest.

Officium ejus ex potestate clarum *Obligatio* & vestis atque *prohibita* omnium Clericorum sicut *Privilegia* sunt omnia sicut Tonsurati.

Lectoratus.

Quo conceditur Spiritualis potestas Prophætias & Scripturas legendi in Ecclesia.

Dignior Ostiaratu qui procurat reverentiam corporalem & exteriorem Sacrificio Missæ. Hic autem disponit animos ad devotionem & reverentiam spiritualem per Sacram lectionem.

Materia, remota Liber continens ſacras non profanas Lectiones; proxima, Traditio Libri.

Forma Verbi: *Accipe*, *& eſto verbi DEI relator habiturus ſi fideliter & viriliter Officium tuum impleveris partem cum iis qui verbum DEI ab initio miniſtraverunt.*

Inſtitutus a Chriſto cum in medio Seniorum librum Iſaiæ legerit *Spiritus Domini ſuper me.* vel in ultima cæna.

Miniſter & quæ ad valide atque licite ſuſcipienda requiruntur eadem ſunt quæ dicta maneut de Oſtiariatu Tum quoque correſpondens ordini huic effectus. Qui ex poteſtate fluit

Hæc poteſtas refertur ad Euchariſtiam, quia per Sacram Lectionem excitat ad devotionem.

Officium 1. Prophetias. Sacram Scripturam atq; Lectiones rmi Nocturni legere. 2. Cathecumenis doctrinam fidei tradere 3. Exemplo & moribus populum ædificare 4. Novos Fructus & panem benedicere, ſed modo hoc non eſt in uſu.

Exorciſtatus.

Quo confertur poteſtas imponendi manus ſuper Energumenos & legendi Exorciſmos.

Dignior Lectoratu 1. Quia Lector exercet munus in Catechumenos, Exorciſta in fideles 2. Lector tantum legit verbum DEI Exorciſta authoritative invocat Nomen DEI. 3 Lector docet, Exorciſta poteſtatem exercet. 4. exorciſta exorciſando, Dæmones pellendo, confirmat doctrinam a Lectore tantum recitatam.

Materia Eſt Liber Exorciſmorum Miſſale vel Pontificale Romanum ex Rubro Pontificalis.

Forma Verba: *Accipe & commenda memoriæ & habe poteſtatem manus imponendi ſuper Energumenos ſive Baptiſatos ſive Catechumenos.*

Inſtitutus a Chriſto Dno quando ejecit Dæmones vel quando Apoſtolis eandem poteſtatem conceſſit.

Miniſter valida ejus receptio &c. ut de Oſtiariatu reſpective intelligenda ſunt.

Poteſtas Exorciſtæ deſervit Sacrificio Miſſæ, inquantum removet impedimentum Dæmonis, diſponitque ad digne recipiendum Sacramentum.

Hanc poteſtatem non poteſt exercere ſeu exorciſmos legere ſine Epiſcopi approbatione, cum per ordinem receptum tantum habet poteſtatem ordinis, non vero jurisdictionis. 2. non poteſt exercere in Infideles & Hebræos quia non ſunt Cathechumeni. 3. Non poteſt legere exorciſmos ſuper pueros ante Baptiſmum, quia hi exorciſmi pertinent ad frænandam poteſtatem Dæmonis in anima aliud eſt ſi Baptiſandus vexaretur in corpore.

Acolytatus.

Quo datur poteſtas accendendi lumina, cereum transferendi ad altare, porrigendi Subdiacono in Urceolis Materiam pro Sacrificio Miſſæ,

Materia duplex 1. Candelabrum cum cæreo extincto. 2. Urceolus vacuus.

Forma duplex. 1. *Accipe Ceroferarium cum cæreo & ſcias te ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipari in Nomine Domini.* 2. *Accipe Urceolos ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtia Sanguinis Chriſti in Nomine Domini.*

Inſtitutus a Chriſto vel in Cæna Domini, vel tunc quando Chriſtus dixit *Ego ſum lux mundi.*

Miniſter effectus & alia pariformiter ſicut in Oſtiariatu deſumenda ſunt.

Siquidem Hic Ordo duas habet materias & formas parciales, omiſſa una & ſolum altera recepta, ſupra receptam haberet poteſtatem, & aliam omiſſam deberet recipere, id quoque ſentiendum de duplici charactere partiali.

Diversimodè intelligendum si in Præsbytero daretur Potestas absolvendi, non vero consecrandi deberet omnino repetendo denuo utramque potestatem recipere Quia potestas consecrandi est fundamentum absolvendi.

DE
MAJORIBUS ORDINIBUS.

Qui sunt Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus ad quem spectat Episcopatus tanquam complementum perfectivum Sacerdotii. Est enim Episcopus Sacerdos magnus.

Majores dicuntur quia majora illis incumbunt circa Eucharistiam Ministeria.

Sacri dicuntur 1. respectu materiæ quia possunt tangere res Sacras. 2 quia habent corpus DEO dicatum per votum Castitatis, tum per perpetuam obligationem recitandi Div: Officium sunt specialiter DEO mancipiti.

Sicut Minores ita majores per saltum valide suscipiuntur & omissum tamen supleri debet, exceptis in Præsbytero potestate absolvendi sine potestate consecrandi. Et Episcopatu sine prævio Sacerdotio.

Ætas ex Triden: præscribitur pro Subdiacono nullus ante 22. pro Diacono ante 23. pro Presbyteratu ante 25. ordinari licite potest: in hoc tamen Episcopi ex Privilegio quandoque dispensant.

Tempus. sunt sex Sabatha in quatuor temporibus Sabathum ante Dominicam Passionis & Sabathum Sanctum nisi aliter a sancta Sede fuerit Episcopo indultum.

Duo Sacri ordines eadem die non licet conferre & recipere ex Trident Sessione 23.

Insterstitia Est integer Annus Ecclesiasticus a

collatione unius Ordinis Sacri id eſt a Sabbatho ad Sabbathum in quibus poſſunt diſpenſare Epiſcopi.

Cauſæ diſpenſandi interſtitia ex Trident: pro Subdiacono: Utilitas & neceſſitas Eccleſiæ pro Diacono judicium Epiſcopi pro Præsbyteratu ad Eccleſiæ utilitatem & neceſſitatem.

Titulus ſeu modus ſubſiſtendi ſine turpi quæſtu ad honeſtam ſuſtentationem eſt 1. Paupertatis pro regularibus valide profeſſis. 2. Patrimonii 3. Beneficii.

Obligationes 1 Servandi Caſtitatem quam implicite recipiendo ſacrum ordinem vovit 2. Recitandi horas can: 3. deferendi habitum & Tonſuram.

Horæ Canonicæ.

Seu Divinum Officium ad laudandum DEUM per Eccleſiam inſtitutum conſtans ſeptem horis in memoriam principalium Myſteriorum Paſſionis Chriſti.

Matutina ligat Chriſtum qui crimina purgat.
Prima replet ſputis, dat cauſam tertia mortis.
Sexta Cruci nectit, Latus Ejus nona bipartit.
Veſpera deponit, Tumulo completa reponit.

Recitari debent horæ ex Concil: Lateran: ſub Inn: 3. cap: Dolentes: *Ut Divinum Officium Nocturnum pariter & diurnum quantum eis dederi DEUS ſtudioſe celebrent, pariter & devote* ubi *Studioſe* externa & verborum *Devote* interna & cordis injungitur attentio; Concil: Trident: ſub Pio 4. Seſſione 24. Capite 12 præcipit *divinum Officium recitandum Reverenter, Diſtincte & devote.*

Dirige Cor ſurſum bene profer reſpice ſenſum.
Inque Choro non ſis Corpore mente foris.

De Intentione & attentione jam dictum eſt ubi de Oratione Dominica.

Beneficiatus in ſacris omittens officium dupliciter peccat: *ratione juſtitiæ*. vi cujus tenetur ad reſtitutionem & *ratione Religionis*, virtutis.

Datur parvitas materiæ quæ excuſat a mortali ut unus pſalmus parvus, Reſp: omiſſum.

Qui propter impedimentum non poteſt integrum recitare tenetur poſſibilem partem, ſaltim contraria eſt damnata ab Innocentio XI. nro: 14.

Brevius Officium pro longiori non licet eligere propter damnatam ab Alexandro nro 34.

Neque uno Officio poteſt quis ſatisfacere duplici obligationi *ex:g.* recitando pro hodierna & craſtina die ob damnatam ab Alexan: nro 35.

Cauſæ excuſantes a recitatione Divini Officii.

1 *Impotentia* Phiſica vel Moralis ut oblivio naturalis infirmitas & carentia Breviarii

2 *Charitas* Confeſſiones excipiendo, aſſiſtendo moribundo, concionem parando.

3 *Diſpenſatio* quæ datur ſi juſta ſunt expoſita, poteſt ſuffragari. DEUM enim nemo decipere valebit.

Pro terminatione Orationum hæc ſcienda.

Per Dominum dicas cum Patrem Presbyter oras.
Cum Chriſtum memoras, per eundem dicere debes.

Cum Christo loqueris qui vivis dicere quæras.

Qui Tecum si sit collectæ finis in illo.

Et si Spiritus almus ejusdem dicere debes.

Subdiaconatus.

Quo datur potestas duplex 1. Inserviendi Diacono in Missa quo ad præparationem vasorum SS. 2. legendi Epistolam in Missa solemniter.

Materia remota duplex 1 Cálix & Patena vacua 2. Liber Epistolarum, Proxima quislibet traditio.

Forma ad primam materiam *Vide cujusmodi Ministerium vobis traditur ideo vos admoneo ut ita vos exhibeatis ut DEO placere possitis* ad secundam materiam: *Accipe Librum Epistolarum & habe potestatem legendi eas in Ecclesia DEI tam pro vivis quam defunctis.*

Institutus. in ultima cæna tunc quando præparabatur Materia Eucharistiæ & quamvis tunc deerat Liber Epistolarum, Christus tamen non nullas tantum materias statuit in genere, ut instrumentum, aptum ad significandam potestatem, spiritualem. Eclesia vero determinavit speciem instrumenti quod pro temporum & locorum varietate magis exprimere posset eandem spiritualem potestatem.

Officium 1 Inservire Diacono in Missa solemni quo ad præparationem vasorum Sacrorum 2. Canere Epistolam. | *Præterea ex Cathecismo Romano* 1. Aquam ad lavandas manus Sacerdoti porrigere. 2. Eidem assistere & prohibere ne in Sacrificio a quopiam turbetur. 3. Crucem in processionibus deferre. 4. Pallas & corporalia abluere.

Vestis Manipulus in Brachio sinistro quo utitur solum ad Missam solemnem & significat Fructum

bonorum operum, aliæ veſtes amictus ſignificat fortitudinem, alba puritatem vitæ, Cingulus repeſſionem Carnis & Tunica juſtitiam quibus præditus debet eſſe.

Ideoque ut digne inſerviat Sacerdoti celebranti debet eſſe in ſtatu gratiæ per confeſſionem, vel contritionem Perfectam, alias committeret Sacrilegium.

Non vitiaretur ejus ordinatio dando utile pro utili, loco materiæ ut calix cum vino & patena cum pane.

Sed per traditionem ſolius patenæ vel ſolius Calicis probabilius invalide ordinartur. Vaſa item ex uſu Eccleſiæ debent eſſe conſecrata.

Diaconatus.

Quo datur poteſtas proxime miniſtrandi Sacerdoti in Miſſa, legendique Evangelium ſolemniter.

Materia eſt Liber Evangeliorum ex Concilio Florentino, ad perfectam tamen collationem requiritur manus Epiſcopi impoſitio, qua ſignificatur unio ordinantis cum ordinato in Spiritu & gratia.

Forma in Traditione Evangeliorum: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Ecleſia DEI tam pro vivis quam pro defunctis* In manus impoſitione: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur & ad reſiſtendum Diabolo & tentationibus ejus in Nomine Domini,*

Inſtitutus a Chriſto in ultima cæna.

Officium Duplex 1. Inſervire immediate Sacerdoti celebranti cum poteſtate in Corpus & Sangvinem Chriſti prout continetur in Vaſibus. 2. Canere Evangelium ſolemniter præterea.

In Epiſcopum 1. Quem ſequi, Concionantem & cuſtodire debet.

In Sacerdotem cui Sacraficienti præſto eſſe.

In Populum Quorum animos excitare ad ſacra attendenda.

In Sangvinem Quem antiquitus administrabat.

In Bona Ecclesiastica Quorum administratio committebatur.

In Cathechumenos & Ordinandos Quorum Nomina recitare & ante Episcopum statuere debet.

In Doctrinam Quam explanare potest sed absente Episcopo.

Vestis est Stola decussatim posita super humerum sinistrum pendens sub latere dextro.

Potest Diaconus de Commissione Sacerdotis ad agonizantem deferre viaticum, si ipse Sacerdos nequit sed si ad Parochum Sacerdotem morti proximum defert etiam manu propria si ipse sua non valet se communicare potest cibare. 2 Potest semper de uno loco ad aliud Sanctissimum transferre qua habet potestatem in Corpus Christi contentum in vasibus 3. Potest Baptisare ex commissione Sacerdotis solemniter & in his casibus utitur veste superpellicæa & Stola transversim.

Non potest autem administrare extremam unctionem quia hoc nullo jure statuitur. 2. de Commissione Parochi non potest assistere Matrimonio quia Trident: Sessione 24. vult substitui Sacerdotem, sed si Parochus ipse est, Diaconus valide assistet Matrimonio.

Presbyteratus seu Sacerdotium.

Quo innuitur nomine Græco. *Presbyter* seu senior præ aliis Laicis & Clericis morum gravitate prudentia & doctrina *Sacerdos* id est Sacer 1. Quia DEO sacratus 2 Quia res sacras conficit. 3. Quia Sacra distribuit.

Eo ordine confertur duplex potestas 1. in Corpus Christi Phisicum & reale, quod possit transubstantiare Panem & vinum in Corpus & Sangvinem, Christi Missasque celebrare 2 in Corpus Mysticum id est absolvere fideles a peccatis vel retinere.

Differt itaque Sacerdotium novæ Legis a veteri lege in eo quod veteres per Sacrificia non confe-

rebant gratiam, noſtri autem impetrant per Sacrificia Gratiam, & per Sacramenta conferunt. 2. Veteres nullum in anima habent Characterem.

Inſtitutus a Chriſto in ultima Cæna quando dixit JESUS *hoc facite in meam Commemorationem.*

Materia duplex Calix cum vino & aqua, patena cum Hoſtia ſunt remota ſed proxima horum traditio 2. Manus Epiſcopi remota ſed proxima eſt Impoſitio cum tactu.

Forma 1 Accipe Poteſtatem offerendi Sacrificium tam pro vivis quam pro defunctis. 2. Accipe Spiritum Sanctum quorum remiſeris peccata remittentur eis &c.

Officium 1 Offerre Sacrificium & Miſſas celebrare, 2 Si approbatus eſt vel inſtitutus ad curam animarum vel in articulo mortis a peccatis abſolvere. 3. Sacram Euchariſtiam adminiſtrare 4. Extremam unctionem de commiſſione 5. de eadem Commiſſione Matrimonio aſſiſtere. 6. Baptiſmum ſolemniter conferre. 7. Exorciſmos facere atque res benedicere ad præſcriptum ritualis.

Effectus 1 Gratia ſanctificans in ſubjecto bene diſpoſito 2. Character diſtinctus ab aliis ordinibus in anima.

Ad validam ſuſceptionem ex parte Miniſtri requiritur. 1 Intentio, 2 Traditio Materiæ debitæ. 3 Prolatio formæ. *Ex parte ſuſcipientis* 1 ut ſit vir, 2. Baptiſatus. 3 Compos rationis 4. Intentione præditus 5. Tangat materiam Phiſicæ.

Ut quando non tangit vinum in calice ſed tantum continens pro contento.

Ad licitam. 1 ut ſit in gratia, 2 Ne ſit irregularis 3. Cenſuris Innodatus, 4 Infamis 5 Simoniacus 6 ne ſit omnino rudis illorum quæ ſcire debet.

Scientia enim requiritur ex Trident: Seſſione 23 Cap: 14. *Qua ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt, ad ſalutem, ac ad adminiſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente idonei comprobentur atque ita pietate ac caſtis moribus conſpicui ut præclarum Bonorum operum e-*

xemplum & vitæ monita ab eis possint expectari. Unde defectus scientiæ debitæ ad ea quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent reddit inhabilem ad curam animarum seu Corpus Christi mysticum. Defectus autem scientiæ Liturgiæ Missæ & earumque circa illam celebranda sunt reddit irregularem ita Bonacina.

Obligationes Sacerdotis.

E. S. Thoma non suspensi non Irregularis sunt 4. Et quidem 1 Celebrare in præcipuis Festis in quibus fideles communicare consveverunt 2 Servare castitatem 3. Incedere in habitu & Tonsura. 4. Recitare Officium Divinum.

Requisita ad Missam.

Ex Parte animæ: 1. Quod sit valide ordinatus Sacerdos, alias Invalide celebraret 2 Non excomunicatus quia illicite ad suspensionem incurreret 3. Non suspensus, quia fieret irregularis, 4. Non irregularis quia majus esset Sacrilegium 5 in gratia alias peccaret peccato sacrilegii. 6. Ne sit ignarus rituum & ceremoniarum alias se exponeret periculo errandi.

Tripliciter peccat Sacerdos celebrans in peccato 1 quia conficit. 2. quia recipit 3 quia sibi ministrat Sacrilege.

Tridentinum disponens teneri sacerdotem confiteri quam primum. Intelligendum est, imponere obligationem confiteri eo tunc quando habet confessarium primo, ita ut celebrans cum conscientia gravata, & finita missa habendo confessarium immediate tenetur confiteri.

Ex parte corporis ut licite possit celebrare Sacerdos requiritur ut sit.

Jejunus a media nocte diei præcedentis J. E. ob reverentiam tanti Sacramenti, porro ejunium illud

naturale frangitur per quodcunque quod ſumitur per modum ubi aut potus, ideo ſaliva aut modica res inter dentes præxiſtens deglutia per modum ſalivæ, non frangit.

Cauſæ propter quas non jejuno licet celebrare. 1 Neceſſitas integrandi Sacrificium. 2 Neceſſitas conſervandi reverentiam Sanctiſſimo vg: Si Eccleſia ab hoſtibus vel ab igne gravaretur, licet non ſolum Sacerdoti ſed a Laico ſumere. 3. Neceſſitas ſumendi viaticum quod non jejunus homo poteſt ſumere. 4 Neceſſitas vitandi ſcandalum publicum aut periculum vel damnum ut Neomyſta, Parochus invitatus ad exteram Eccleſiam oblitus hujus invitationis quamvis jentaret tamen adhuc poteſt celebrare ſi in ea Eccleſia deſit Sacerdos Item in die Nativitatis Domini ſi alter Sacerdos non adeſt.

Tempus ab aurora id eſt una Hora cum dimidia ante ortum ſolis, Exceptis Nocte Nativitatis Domini, & exceptis locis & Perſonis Privilegiatis.

Locus Eccleſia Conſecrata aut Benedicta, non interdicta non violata. *Violatio Eccleſiæ* fit 1 per injuſtam Sangvinis humani effuſionem 2 per illicitam & publicam humani ſæminis emiſſionem 3. per excommunicati admiſſionem 4. per excommunicati ſepulturam.

In Orationis privatis qui habet privilegium.

In Altari vel fixo vel portatili vel etiam in Eccleſiis R. G. U. ſuper eorum ante Miſſali ex conceſſione Benedicti XIV. in bulla *impoſito nobis.*

Veſtes S. non poſſunt omitti ſine lethali niſi quid parvum ut cingulus manipulus.

Miniſter Maſculus qui reſpondeat Sacerdoti omnino adhibendus.

Materia conſecranda qualis debeat eſſe deictum eſt ſub Sacramento Euchariſtiæ.

Myſticæ ſignificationes Miſſæ.

Miſſa Cathecumenorum a principio uſque ad Offertorium continet.

Introitum quo Sacerdos profitetur ſe incipere ſa-

cra & in principio eſt accuſator ſui per Confeſſionem ut mereatur juſtificari deinde in Pſalmo laudat DEUM.

Kyrye eleyſon Commemorat miſericordiam Domini novem vicibus contra novem peccatorum genera. Originale, Mortale, veniale, cogitationis, locutionis perpatrationis, fragilitatis ignorantiæ, & malignitatis, dicitur ter pro perſona Patris. ter pro Filii & pro Spiritus S. & dicitur lingva Græca. 1. Quia apud Græcos primo floruit Sapientia. 2. Leges 3. Evangelium 4 & ab ipſis ad nos religio propagata, tum ut oſtendatur quod Divina. Miſericordia indifferenter Nationibus omnibus imploranda ſit.

Gloria Orationes cum ſalutatione populi: ſignificant totius populi debere eſſe unanimem orationem.

Epiſtola Evangelium & Credo. Inſtructio populi in doctrina Chriſti qua finita Cathecumeni expediebantur ab Eccleſia.

Secunda pars Miſſæ ubi offertur 1 Panis & vinum hoc eſt præparatur.

Thurificatur ad decentiam & ad augendam ſvavitatem Orationis.

Orate fratres Sacerdos dicit & rogat ut populus ſuis orationibus eum juvet quod pro omnibus facit.

Præfatione Invocat omnes Cæleſtes Ordines ad laudem DEO dandam.

Canone orat pro ſe & pro omnibus, nominat Papam, Epiſcopum, deinde ad Conſecrationem accedens petit Conſecrationis effectum *Quam oblationem Tu DEUS.*

Conſecratione narrat modum quo Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum *Qui pridie quam pateretur* & in Perſona Chriſti conſecrat

Elevatione Sacrificium DEO vero a terra ſurſum ad cælum elevat.

Continuat Canonem excuſando præſumptionem faciendi actionem excellentiſſimam, ſubdens motivum obedientiæ, *unde & memores* atque petit hoc

Sacrificium ut ſit a DEO acceptum *Supra quæ pro pitio* & ut Orationes tam populi quam ipſius Sacerdotis ab Angelo Miniſterii deferantur ad Cælos.

Memento Defunctorum eſt Charitatis Officium ut DEUS Pænas illis debitas per Sacrificii fructum mitigare dignetur.

Oratione Dominica precatur quid quid deſiderari juſte poteſt.

Fractio Hoſtiæ ſignificat diviſionem animæ Chriſti a Corpore tres vero partes.

Hoſtia dividitur in partes, tincta Beatos.
Plene, Sicca notat vivos, ſervata ſepultos.

Sequitur Communio & Gratiarum actio.

Trina Miſſarum in die Nativitatis Domini celebratio ſignificat 1 Tempus ante Legem 2. Tempus Legis 3. Tempus gratiæ vel ſecundum S. Thom: 1. Significat Nativitatem æternam 2. Spiritualem in cordibus fidelium. 3 Temporalem ex Virgine.

In Paraſceve non habetur Miſſa in memoriam mortis Chriſti Domini.

MATRIMONIUM

Eſt Sacramentum inter Baptiſatos, quo vir & Mulier libero & mutuo conſenſu legitime ſibi corpora tradunt ad perpetuam vitæ Societatem.

Legitimum juxta leges factum.

Ratum quod non ſolum legitime contractum hoc eſt ſine impedimento, ſed etiam Sacramentum ſed non conſumatum.

Conſumatum ad leges Naturæ rationalis.

Materia proxima eſt mutuus conſenſus in Traditionem corporum.

Forma Idem mutuus conſenſus prout ſignis externis expreſſus vel quatenus habet rationem acceptationis.

Miniſter ſunt ipſi Contrahentes Parochus vel alius Sacerdos juxta Tridentinum aſſiſtens & benedicens non eſt propriæ Miniſter ſed Teſtis Authoriſabilis & requiſitus.

Inſtitutum a DEO in Paradiſo & a Chriſto elevatum ad rationem Sacramenti, Math: 19.

Bona Matrimonii 1. Fides ſervanda ne ſit cum alio. 2 Proles religioſe educanda. 3. Sacramentum indiſſolubile.

Indiſſolubile ſi eſt conſumatum ſed *Ratum* poteſt diſſolvi una parte profeſſionem Religioſam emittente item *in Rato* Papa cum gravi cauſa ſolet diſpenſare.

Divortium ſeu ſeparatio ad tempus quo ad thorum, manente vinculo conjugali fieri poteſt ob cauſas a

J. C.

J. C. expressas imo in perpetuum vg: ob Conjugis adulterium, incestum Sodomiam, Bestialitatem &c.

Sed Divortium quo ad vinculum tunc tantum fit, quando probatur a principio Matrimonium non fuisse legitime contractum, declaratur invalidum.

Impedimenta Impedientia Matrimonium Contrahendum.

Ecclesiæ vetitum nec non tempus feriatum.
Atque Catheismus crimen sponsalia votum.
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Olim Catheismus, seu qui ad Ceremonias baptismi assistebant. & Crimina varia.

Incestus Raptus Sponsatæ mors mulieris.
Susceptus proprie prolis, mors Præsbyteralis.
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem.
Accipiat, prohibent hæc Conjugium sociandum.

Impediebant Matrimonia contrahendà modo autem non sunt in usu. sed hæc quatuor uno versu sunt impedientia.

Sacratum tempus vetitum, sponsalia votum.

Tempus Sacrum juxta Tridentinum ab ad ventu usque ad diem Epiphaniæ, & a die Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive.

Vetitum Prohibitio Ecclesiæ, vg: Episcopi vel Parochi de non contrahendo donec constet num non intercedat impedimentum dirimens.

Sponsalia prius cum alia contracta nec dissoluta ex causa.

Votum Simplex Castitatis ingrediendæ Religionis, assumendi ordinem, non ineundi Matrimonium, in tali contracto Matrimonio non potest petere debitum donec cum eo dispensatum fuerit, debet tamen reddere, sed non primo bimestri.

Impedimenta Dirimentia quæ reddunt Matrimonium irritum & nullum antiquo J. 12. fuerunt, Trident: duo superaddit præsentia Parochi & Raptus nisi restituatur.

Error, Conditio Votum, Cognatio Crimen,
Cultus disparitas, vis ordo ligamen honestas.
Si quis affinis si forte coire nequibis.
Si Parochi aut duplicis desit præsentia testis.
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc sociando vetant connubia, facta retractant.

Error Personæ ut Lia fuit subposita, pro Rachel. *Fortunæ* si accipitur ut Dives, est autem pauper: *Qualitatis* ut pulcher bonus, est autem contrarium *Error Fortunæ* & *qualitatis* si non venit in conditionem Matrimonii, non dirimit.

Conditio Servilis quando liber contrahit cum serva, & e contra ignorata conditione servili dirimit sed si sciatur tenet.

Votum Solemne Castitatis quod per susceptionem Ordinis sacri aut professionem Religiosam emittitur, dirimit

Cognatio Legalis proveniens ex adoptione perfuta 1. Inter adoptantem & adoptatum hujus Filios & Filias 2 inter adoptantem & uxorem adoptati & vicissim inter adoptatum & uxorem adoptantis, 3. Inter personam adoptatam & prolem Naturalem adoptantis dirimit.

Spiritualis cognatio J. E. oritur ratione Baptismi solemniter collati & confirmationis 1. Inter Baptisatum & Baptisantem hujus Patrem & Matrem 2 inter susceptorem baptisati & hujus Patrem & Matrem seu clarius 1 inter Infantem & Baptismum conferentem 2. Inter levantes & Infantem. 3 Inter Levantes & Parentes Infantis dirimit.

Carnalis cognatio Quæ est vinculum Personarum ab eodem stipite proximo descendentium, & dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusive lineæ transversalis, in primo gradu jure naturæ, in reliquis J. E. unde in his Pontifex ex justa causa potest dispensare. Gradus vero lineæ rectæ omnes prohibiti sunt J. Naæ.

Crimen 1 Adulterium cum Homicidio etiam sine conventione factum tamen ab uno illorum ad finem nubendi, sic medicus si adulteretur cum uxore in-

firmi cui propinat venenum ad finem nubendi cum ea, secuta morte, non poteſt nubere ſive adulterium præcedat ſive ſubſequatur propinationem Veneni 2. adulterium cum promiſſione Matrimonii futuri ſive illud præcedat ſive ſubſequatur promiſſionem. 3. Homicidium cum conſpiratione etiam ſine adulterio ſic Titius ſi conſpiravit cum Berta in occiſionem Mariti vel e contra non poteſt ſecuta morte nubere quamvis nec adulterium, nec fides Matrimonii præceſſerit. 4. Matrimonium Ratum cum una *ex: g:* Ioannes Burſtini nupſit Teclæ poſt matrimonium ratum fugit Lublinum & ibi nupſit Helenæ: Matrimonium hoc Lublini cum Helena eſt invalidum ratione prioris legaminis; ſed neque mortua Tecla poteſt nubere Helenæ ratio, ne criminis ſi Hælena conſcia fuit ligaminis, alias tenetur omnino eandem Helenam ducere ut inſciam prioris criminis.

Cultus diſparitas Unde fidelis nequit contrahere Matrimonium cum infideli ſeu carente Baptiſmo. Hereticorum Apoſtatarum a fide illicitum eſt Matrimonium, & niſi ex conſvetudine toleratur.

Vis ſeu gravis metus & violentia injuſte incuſſa ad extorquendum Matrimonium *metus gravis* carceris perpetui amiſſionis bonorum indignatio Parentum, *injuſte incuſſus* Quia ſi metus juſte incuſſus; Matrimonium eſt validum *vg:* Si Pater deprehenſo in crimine cum Filia minaretur accuſationem infamiam niſi illam ducat. *Ad extorquendum* Quia metus etiamſi graviſſimus ſi non ſit ad extorquendum matrimonium illud valet ſic 1 Petrus a Medico perſvaſus non diu ſe victurum niſi ducta uxore quamvis ducat ex metu mortis. 2 Si in carcerem conjectus ſpe evadendi contrahat cum Filia Lictoris. 3 Si raptor aut deflorator Virginis metu mortis offerat ſe ad eam ducendam. 4 Si Infirmus contrahat cum Filia Medici, ut ſibi melius aſſiſtat.

Ordo Sacer ſuſceptus ante Matrimonium dirimit

fed fufceptus poft Matrimonium illud non dirimit.

Ligamen Matrimonium Ratum five confumatum cum una eft impedimentum quod non poffit effe validè cum alia nifi priore mortua.

Honeftas Nemo poteft contrahere cum Confangvineis illius cum qua contraxit Sponfalia vel Matrimonium ratum, alia enim funt *Sponfalia de præfenti* & eft in re Matrimonium Ratum *alia Sponfalia de futuro* & hæc funt propriæ fponfalia. Porro Impedimentum honeftatis oritur ex utrifque; ratione cujus non licet cum confangvineis fponfatæ inire connubia ufque ad quartum gradum: jam autem ex fponfalibus de futuro ad primum gradum fi fponfalia funt valida. Hinc ex fponfalibus conditionatis non impleta conditione. 2 Ex Matrimonio claudeftino non oritur Impedimentum fed oritur ex validis ab initio etiamfi poftea mutuo confenfu diffolvantur vel una pars religionem ingrediatur vel moriatur. 2 oritur ex fponfalibus impuberum fi venientes ad pubertatem non contradicunt ftatim ex occafione impuberum.

Ætas Quæ ad valorem Matrimonii J. E. requiritur in Viro annorum 14. in fæmina 12. annus completus.

Affinitas feu propinquitas Perfonarum orta ex Copula carnali five licita five illicita utraque J. E. dirimit Matrimonium fed prima ufque ad quartum gradum & fecunda ad fecundum tantum & quidem fi antecedat Matrimonium.

Porro gradus affinitatis accipiuntur eo modo quo in confangvinitate ita nempe ut qui eft uxoris Confangvineus in primo gradu five Rectæ five tranverfæ lineæ, is fit affinis Marito in eoque gradu confangvineis Mariti affines. Quare poteft Petrus ducere affinem Fratris fui etiam in primo gradu vel duo Fratres duas Sorores, imo Pater & Filius poteft Matrem & Filiam. Non autem is qui fornicatus eft cum forore fponfæ, utram poteft ac-

cipere abſque diſpenſatione imo nec conſobrinam aut Materteram.

Impotentia ad copulam perpetua intrinſeca vel extrinſeca ſive ſit unius vel utriuſque antecedens Matrimonium illud dirimit ſed triennio experiri debet.

Raptus Quæ eſt violenta abductio Fæminæ de loco ad locum cauſa ineundi Matrimonium vel libidinis exercendæ; hæc dirimit donec parti reddita tutæ conſentiat; nec valet quod conſentiat exiſtens apud raptorem. Sed mulier conſentiens in raptum ſicut non dicitur violenter abduci, ſic talis raptus non dirimit.

Claudeſtinitas quando quis non coram Parocho. aut alio de licentia Ordinarii Sacerdote, atque duobus ſaltim teſtibus contrahit. Teſtes ſimultaneæ debent ſaltim audire verba, ſi non vident perſonas poſſunt autem eſſe Fæminæ, Infames, pueri, habentes uſum Rationis, Parentes, Domeſtici, Servit Non refert quod hi contradicant, reſiſtant, aut prohibeantur ne interſint.



PRACTICA

INSTRUCTIO

Pro caſibus quorum abſolutio ſeu diſpenſatio a S. Pænitentiaria Apoſtoſtolica impetranda eſt.

Obſervanda Materia 1 votorum Reſervatorum Sanctæ Sedi, ut Religionis ob debilitatem virium ob metum incontinentiæ, vel inopiam parentum, aut dotis defectum, ut liceat differre vel inire connubium. Item in voto ſimplici caſtitatis vel religionis poſtquam contraxit Matrimonium ut in illo maneat & debitum petere poſſit.

Secunda Materia Impedimentorum ocultorum Matrimonii ſive impedientium, ſive dirimentium ſive in Contracto ſive in contrahendo Matrimonio.

Tertia materia. In variis Cenſuris nempe excommunicationibus Papæ reſervatis, item irregularitatibus ocultis ad abſolvendum ab illis, ad diſpenſandum & rehabilitandum. Item ad condonandam obligationem reſtitutionis ob neglectas horas Canonicas in beneficiato, ad commutandum onus recitationis horarum, ad eligendum Confeſſarium pro reſervatis, ad tranſeundum ad aliam Religionem ſive Ordinem etiam poſt Apoſtaſiam a ſuo.

Circa formam Brevis Apoſtolici obſervanda, 1 Verba Subſtantialia: Si ita eſt, vel quatenus ita eſt: *hunc habent ſenſum* ſi præces juſtis & veris cauſis nitantur: hoc eſt ſi vere immineat periculum Infamiæ, ſcandali. 2. In facultate abſolvendi ab excommunicatione ob percuſſionem Clerici, verba il-

la: poſtquam dicto Sacerdoti ſi necdum ſatisfecerit: *ſignificant conditionem* quam prius juratam promiſſionem facere debet pænitens antequam abſolvatur.

Circa executionem harum diſpenſationum hæc ſunt facienda 1 Confeſſarius deſignatus & approbatus debet literas S. Pænitentiariæ coram diſpenſando aperire & legere. 2 In Confeſſione Sacramentali vel poſt eam immediate diſpenſare forma in Rituali præſcripta. 3. Literas coram diſpenſato lacerare, ita ut pro ſolo foro interno valeant. nec ad probandum in foro externo poſſiut valere alias incurret excommunicationem majorem Sacerdos. 4. Non debet dare atteſtationem diſpenſationis factæ 5 Nihil poteſt accipere per modum compeſſati alias incurreret· Excommunicationem.

Forma ſcribendi ad Sacram Pænitentiariam.

Eme & Rnme Dne:

N. Berta Mulier emiſit votum ſimplex caſtitatis, manet in periculo incontinentiæ niſi nubat. Suplicat ſibi votum commutari vel in eo diſpenſari ad effectum contrahendi Matrimonium *concluditur.* Dignetur Emia Veſtra reſcribere NN. ad Civitatem N. per Civitt: N. & dirigere Breve ſeu gratiam Confeſſario cui pænitens aperuit ſuam conſcientiam ne ipſe pænitens cogatur circuire pro executione Gratiæ Sacræ Pænitentiariæ.

Subſcribatur: Emo & Rmo Dno Dno Cardinali Majori Pænitentiario.

Romam.

Si tardaverit Reſponſio replicetur.

Recepta Reſponſione obſerventur Clauſulæ ſi expoſita ſunt oculta. Hinc ne errori contingat. advertentur, crimen ocultum dici illud: Quod a nemine vel paucis adeo ſcitur, ut neque ſit famoſum,

neque notorium, facti vel juris. Unde etiamsi aliquibus notum sit, & etiamsi secundum se sit probabile in Judicio dum tamen non probatur, & ad judicium non defertur, est adhuc ocultum. Sic *vg:* si delictum de quo agitur est notum duabus vel tribus personis, imo octo in Civitate, adhuc ocultum censetur, dummodo ex circumstantiis judicari possit non divulgandum fore, imo & si tale delictum delatum fuit nec tamen toto anno probari potuit præsumitur ocultum; potest etiam esse aliquod delictum materialiter publicum, & formaliter ocultum: ut *vg:* Missa celebrata ab Excommunicato occulto est publica, sed Excommunicatio oculta.

Quod si delictum sit in uno loco publicum, in alio ocultum, vel aliud prudens dubium occurrat, tunc Confessarius totam seriem facti denuo melius exponat.

Quo ad Pœnitentias in Literis Apostolicis pro delicto injunctas, si diuturnas pænitentias jejuniorum & aliorum operum imponeret, ad quas subeundas minus idonea videtur ætas, status, complexio, sexus, debilitas animi, vel corporis, tunc pensatis pensandis potest Confessarius moderare.

In dispensationibus Matrimonii clausula illa *Renovato consensu* &c: sed ita caute ut latoris delictum non detegatur *significat* quod si timeatur scandalum vel damnum sufficiet copula præcedens affectu Maritali.

Præmissa itaque Peccatorum confessione absolvitur absolvo te a peccatis tuis.

Pro Transgressore voti Religionis per Contractum Matrimonialem.

Et eadem Authoritate Apostolica mihi delegata declaro te, in dicto Matrimonio manere & debitum conjugale reddere posse, & debere, nec non dispenso tecum, ut idem debitum etiam exigere valeas; in Nomine Patris &c.

Pro dilatione voti ſimplicis Religionis non contracto Matrimonio.

Inſuper Authoritate Apoſtolica ſpecialiter mihi delegata dilationem ad implendum votum Religionis quod emiſiſti tibi concedo; in Nomine Patris &c.

Pro commutatione Voti Caſtitatis.

Et authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata tibi votum Caſtitatis quod emiſiſti ad effectum ut Matrimonium contrahere, & debitum conjugale reddere & exigere licite poſſis & valeas in opera tibi præſcripta diſpenſando commuto; in Nomine Patris &c.

Pro diſpenſatione ſuper impedimento oculto affinitatis ex Copula illicita.

Inſuper Authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata diſpenſo tecum ſuper impedimento vel primi vel ſecundi gradus ex copula illicita cum ſorore Mulieris cum qua intendis contrahere proveniente, ut præfato impedimento non obſtante matrimonium cum dicta muliere publice ſervata forma Concil: Trident; contrahere, conſumare, in eo permanere licite poſſis & valeas In nomine Patris &c. Inſuper eadem Authoritate Apoſtolica prolem quam ex Matrimonio ſuſceperis legitimam fore pronuntio, & declaro in Nomine Patris &c.

Pro Diſpenſatione ejusdem de Contracto.

Inſuper Authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata diſpenſo Tecum ſuper impedimento affinitatis primi gradus ex copula illicita, quam cum ſorore Tuæ putatæ Conjugis antea habuiſti. Ut illo

non obſtante, renovato conſenſu cum præfata conjuge Matrimonium cum illa habere . & in eo permanere licite poſſis & valeas; in Nomine Patris &c.

Pro Diſpenſatione & rehabilitatione Sacerdotis Simoniaci & Irregularis,

Dominus N. J. Chriſtus Te abſolvat, & ego authoritate ipſius & authoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata abſolvo te imprimis a quibuſve Sententiis Cenſuris & pænis Eccleſiaſticis quas propter Simoniam incurriſti , & eadem authoritate abſolvo te a peccatis tuis; in Nomine Patris &c.

Et inſuper eadem authoritate Apoſtolica tecum diſpenſo ſuper irregularitate quam ex Simonia vel ex violatione cenſuræ poſtea contraxiſti, ut illa non obſtante in tuis ordinibus, etiam in altari Miniſterio miniſtrare, ac Beneficia ſi quæ tibi alias Canonicæ conferantur non tamen Beneficium quod Simoniacæ obtinuiſti & dimiſiſti, recipere & retinere licite poſſis & valeas; in Nomine Patris &c.

Pro abſolutione a Cenſuris.

Ego Te abſolvo a vinculo Excommunicationis ſuſpenſionis &c. quam incurriſti propter talem cauſam N. (Si Excommunicatus) & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ & communi fidelium (ſi ſuſpenſus) executioni tuorum ordinum, vel Officiorum, vel Beneficii; in Nomine Patris &c.



D E

SACRAMENTO

EXTREMÆ UNCTIONIS.

QUOD eſt Unctio Hominis infirmi pænitentis ad conferendam gratiam reſiſtendi tentationibus, patienter dolores tolerandi, & peccati Reliquias delendi, nec non ſanitatem Corporis ſi DEO ita placuerit retrahendi.

Inſtitutum a Chriſto Domino ut docet Trident: ex Mar: C. 16 & ex Jacobi 5.

Materia remota Oleum Olivarum ab Epiſcopo Benedictum proxima ipſamet unctio facta eo Oleo.

Forma Verba per iſtam Sanctam unctionem & piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum odoratum &c. deliquiſti.

Subjectum Homo baptiſatus rationis compos in partibus 1 In oculis propter viſum. 2 in auribus propter auditum 3 in Naribus propter odoratum 4. in ore propter guſtum & locutionem 5. in manibus propter tactum. 6 in pedibus propter greſſum 7 in Renibus propter delectatiouem.

In mulieribus Renum unctio honeſtatis cauſa debet omitti, ex Rituali etiam viris ſi commode moveri & tangi non poſſunt & hinc Forma ad Renes omittenda.

Carentibus manu pede aut alio membro inung itur pars proximior.

Sacerdotibus manus exterius unguntur. Si omnibus partibus inungi infirmus non poteſt iam vicinus morti ſufficit unam partem inungere ſub una

forma solummodo exprimendo omnes quisque sensus.

Minister Sacerdos & quidem Parochus vel de licentia illius alter Sacerdos.

Effectus 1 Gratia Sanctificans & Remissio Peccatorum 2. Alleviatio infirmi 3 Liberatio ab infirmitate Corporali si id saluti expedierit.

Iterabile sed in diversis morbis periculosis non autem in eoque morbo nisi ex illo convaluerit, & postea in novum periculum inciderit.



DE PÆNIS ECCLESIASTICIS SEU CANONICIS.

PER quas homo secundum Canones arceretur ab aliquo bono Spirituali vel gradu Ecclesiastico.

Triplex est pæna Prima Censoria 1. Excommunicatio 2 Suspensio 3 & interdictum.

Perpetua 1 Deposit. 2. Degradatio 3 Infamia.

Impediens Irregularitas.

Censura Est pæna Ecclesiastica Spiritualis ac medicinalis pro culpa inflicta privans hominem Baptisatum delinquentem ac contumacem usu aliquorum bonorum Spiritualium.

Excommunicatio.

Est Censura Ecclesiastica qua homo fidelis a communione fidelium separatur.

Subjectum Excommunicationis 1 Homo baptisatus 2 delinquens 3 Contumax.

Unde ad incurrendam & infligendam Excommunicationem requiritur 1. Peccatum Mortale externum completum 2 habeat annexam innobedientiam & contumaciam,

Potestas Ferendi Excom: 1 Summus Pontifex 2. Cardinales in suis Titulis 3. Legati Apostolici in loco suæ Jurisdictionis 4 Episcopi in sua Diæcesi. 5. Capitula Cathedralia Sede vacante 6. Vicarii Generales tam Episcopi quam Capituli 7 Superiores

Regulares non ſolum Abbates, Generales, Provinciales, ſed etiam Superiores locales Guardiani, Priores & Miniſtri.

Effectus 1 Privat hominem omnibus Eccleſiæ ſuffragiis ut ſunt Miſſæ Sacrificia Indulgentiæ orationes Eccleſiæ publicæ. 2 Reçeptione vel adminiſtratione Sacramentorum 3 Sepultura Eccleſiaſtica ut qui ſepeliret in loco S. Excommunicatum ipſe Excommunicatus eſſet 4 Inhabilitat ad Beneficia 5 Irritat Reſcripta Sanctæ Sædis ſi ſtante hac pæna impetraverit. 6 Privat exercitio Jurisdictionis Spiritualis, hinc Excommunicatus Excommunicare non poteſt. 7 Privat Communione forenſi quod non poſſit eſſe Judex, Tabellio, advocatus 8 durans per annum in Excom: fit ſuſpectus de Hæreſi 9 Sacerdos Sacramenta adminiſtrans incurrit irregularitatem.

Cauſæ excuſantes ab incurrenda Excommunicatione 1 Ignorantia facti & juris Eccleſiæ 2 Metus gravis Mortis, mutilationis, Infamiæ & damni 3 Defectus Ordinis Judicii ſine trina monitione 4 Defectus cauſæ ad Excom: ſi non fuit peccatum mortale externum 5 Carentia poteſtatis.

Major privat omni communione Fidelium.

Minor privat Participatione Sacramentorum & incurritur propter Communicationem cum Excommunicatis majori Excommunicatione. Unde.

Os, Orare, Vale, Communio, Menſa negatur.

Os Oſcula, colloquia, munera, literæ.

Orare cum eo præces abſolvere in Eccleſia reperiri.

Vale Salutationes verbo & ſcripto.

Communio Societas & habitatio, Contractus.

Menſa Manducatio in eadem Menſa.

Cauſæ excuſantes.

In quibus licitum eſt communicare cum Excom:
Utile, Lex, Humile, Res, Ignorata Neceſſe.

Utile Commodum Spirituale, Consilium ut Resipiscat, debiti repetitio.

Lex Matrimonii quo ad Thorum & cohabitationem atque Gubernium Domus.

Humile Filii Servi.

Res ignorata talem esse Excom:

Necesse Si ipsius Excommunicati sive ejus qui excommunicavit ratione famæ bonorum necessitas propoſcerit; Tum quoque dare & recipere Elemosinas Licet.

A jure per Canones & Decreta Pontificum lata.

Ab homine per Judicium vel Prælatum facta.

Latæ sententiæ Quam scilicet Jus aut Judex statuit Facto sine alia sententia ferenda.

Ferendæ sententiæ que non incuritur nisi acedente sententia Judicis.

SUSPENSIO.

Est Censura Ecclesiastica qua Minister Ecclesiæ arcetur ab aliquo actu Ecclesiastico sibi Competente exercendo.

Ab Officio hoc est ab Exercitio Ordinis & Jurisdictionis.

A Beneficio hoc est Participatione fructuum.

Ab Ordine seu Exercitio Ordinis.

A Jurisdictione seu usu suæ Jurisdictionis; hinc suspensus non potest censuras ferre, ad Beneficia instituere, delegare munia Sacerdotalia.

Subjectum Omnes & soli Clerici præter Papam, & Abbatissa ab oficio suæ Æconomiæ,

Potestas ferendi censuras suspensionis est 1 sicut Excommunicationis ut dictum est, 2. a Jure stabilitæ.

Effectus 1. Suspensus ab Officio id est Exercitio Ordinis & Jurisdictionis Exercendo Jurisdictionem peccat tantum, sed exercendo ordinem fit Irregularis. 2. Suspensus a Beneficio si fructus acceperit ex eo tenetur restituere ad pias causas.

Et quoniam suspensio est strictæ interpretationis, hinc suspensio ab uno non est etiam ab alio. sic: 1. Suspensus a Beneficio non est etiam ab officio & e contra. 2. Ab Ordine Majore non est suspensus a minore· 3. Suspensus Beneficio potest eligere, præsentare & conferre Beneficium alteri si Ius habet.

Causæ Excusantes 1. Non incurritur suspensio nisi propter peccatum Mortale Externum. 2. Ignorantia, Metus & ut de Excomm.

Præcipua Delicta ob qualia incurritur suspensio 1. Recipientes Ordines ab alieno Episcopo 2. Qui duos ordines una die receperit. 3. Ordinans & Ordinatus simoniace 4. Simoniaci, Sodomiaci, Duellantes, Apostatæ.

INTERDICTUM.

Est Censura Ecclesiastica prohibens Divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum & sepulturæ usum.

Locale quod refertur in locum prohibendi ne mox dicta exerceantur in eo.

Personale quod immediate afficit Personas.

Mixtum quod afficit tam Personas quam locum.

Generale. Quo locus generaliter ut Communitas, civitas, Provincia, Collegium interdicitur.

Particulare Quo locus Particularis aut persona seu personæ particulares Interdicuntur.

Effectus 1. Prohibitio Celebrationis Dvinorum Oficiorum ut Missæ, horarum Canonicarum in Choro

Sup-

Supplicationum & aliarum functionum solemnium in Ecclesia interdicta Divina celebrare sed submissa voce, clausis januis, exclusis Excom: & interdictis ac non pulsare campanis nisi in festivitatibus Nativitatis, Paschæ, Pentecosten & Assumptionis B. V. M. Corporis Christi & per Octavam. Præterea Mendicantes in Festis suorum SS. Circumcisionis & Epiphaniæ Domini SS ææ Trinitatis. Quatuor Principalibus DEI paræ, Apostolorum Sancti Joannis Baptistæ, S. Marci, S. Lucæ, Omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiæ, & Commemorationis Fidelium D funct. rum.

2 Prohibitio quorumdam Sacramentorum: Nam Sacramentum Baptismi & Confirmationis licite potest conf rri, & recipi ab interdictis, ac etiam in loco interdicto. Sacramentum Pænitentiæ, exceptis qui sunt interdicti potest administrari, & in articulo mortis, etiam interdictis, atque viaticum & Matrimonium juxta multos.

3 Prohibitio Ecclesiasticæ Sepulturæ quæ in locali interdicto extenditur ad Infantes & Innocentes, unde extra locum interdictum sepultorum, corpora sepulta, exhumari debent, & cessante interdicto sepeliri in loco Sancto. Si autem interdictus in loco Sacro fuerit sepultus jam amplius non exhumatur. Clerici specialiter non interdicti sine cantu & Campanarum pulsu in loco Sancto possunt sepeliri.

Observanda 1 Quod interdicta urbe interdicuntur etiam suburbia. Interdicta Ecclesia interdicuntur sacella & Cæmeterium nam accessorium sequitur Principale non vero e converso. 2 Interdicto locali generali, non interdicuntur Personæ, & vicissim 3 Interdicta Communitate interdicuntur singulæ personæ etiam innocentes quam diu sunt pars communitatis sed dum abeunt desinunt esse interdicti. Nocentes autem quamvis abeant a communitate portant interdictum. 4 Interdicto populo non interdicitur Clerus, Religiosi & vicissim. 5 Qui vio-

laut interdictum peccant, & qui exercent actum ordinis fiunt Irregulares.

Absolvere ab interdictò speciali personali quod a J. communi statutum est, potest Sacerdos privilegium habens, sed ab interdicto locali personali Generali solus jurisdictionem habens in Foro Externo.

Cessatio a Divinis.

Qua prohibetur celebratio Officiorum Divinorum administratio Sacramentorum excepto casu necessitatis. Fit in signum gravis doloris concepti ab Ecclesia, ob gravem injuriam divino honori illatam vel Ecclesiæ.

Cessatio a Divinis non est censura, violatio tamen illius est mortalis, sed non inducit Irregularitatem.

DEPOSITIO.

Seu privatio perpetua Clericalis muneris per Canonicam sententiam debita solemnitate prolatam.

Degradatio.

Quæ plurimum convenit cum depositione est privatio perpetua Clericalis muneris & Privilegii facta per Canonicam sententiam adjecta reali actione & ceremonia per Canones præscripta.

Infamia.

Quæ est diminutio bonæ famæ seu lesæ dignitatis statum vitæ moribus reprobatum.

Juris Quæ ipso jure infligitur incerta crimina committentes: J. C. omnes esse infames quos leges Sæculi apellant, & præterea Fures, Sacrilegi, Incestuosi, Homicidæ, Perjuri, Raptores, Malefici, Venefici, Adulteri, de bello fugientes, sepulchrorum violatores criminibus capitalibus irretiti.

Facti Quando aliquis tale quid patravit, propter quod ejus existimatio apud probos & honestos viros leditur licet jure aliquo expressa non notetur.

Orta ex crimine oculto. Infamia Canonica tollitur per Pænitentiam.

Ex Crimine manifesto ortam authoritative tollere & absolvere spectat ad Principem aut Summum Pontificem.

IRREGULARITAS.

Est impedimentum Canonicum impediens susceptionem ordinum Ecclesiasticorum & eorundem ordinum administrationem.

Ex Defectu animi Hoc est Rationis, Scientiæ, Fidei nondum obfirmatæ ut 1. Pueri 2. amentes. 3. Furiosi 4 Energumeni 5 Lunatici 6 Illiterati 7 non habentes debitam scientiam 8 Neophiti ex Judaismo vel Paganismo.

Ex defectu Corporis Qui talem habent Corporis defectum aut deformitatem. aut morbum, ut non nisi cum magna indecentia, spectantium horrore aut offensione exercere possint actus ordinum, ut 1 Cæci, 2 Surdi, 3 enormiter claudi 4 carentes Nasu. 5. Manu. 6 Pollice vel indice 7 Leprosi 8 Gibbosi, 9. Morbo caduco laborantes. Sed si post susceptionem ordinum incidit quis in defectum corporis, est irregularis ad ea quæ exercere non potest.

Ex defectu Libertatis ut Mancipia subditi nisi prius a Dominis suis dimittantur.

Ex defectu natalium ut illegitimi sive spurii, nisi Filii naturales legitimati sint per sequens Matrimonium.

Ex defectu Sacramenti Quo non significatur unica conjunctio Christi cum Ecclesia tanquam unius sponsi talis est Bigamia seu multiplicatio Matrimonii, etiam ante Baptismum contracta.

Bigamia vera Quando quis duas Uxores legitime duxit & successive consumavit.

Bigamia Interpretativa Qua censetur Bigamus. Qui unam duxit sed viduam, aut ab alio corruptam & cum ea consumavi. Item licet virginem duxit sed eam cognoscit post commissum ab ea adulterium. Non est autem Bigamus nec Irregularis qui prius a se corruptam duxit neque qui antea cum alia fornicatus, aut post Matrimonium adulteratus est.

Bigamia similitudinaria Qua quis post solemnem in Religione professionem vel post ordinem Sanctum susceptum contraxit & consumavit matrimonium etiamsi cum virgine, quia talis duo matrimonia unum spirituale aliud carnale contraxit.

Ex defectu Lenitatis Qui voluntarie & proxime quamvis juste concurrit ad necem hominis vel mutilationem, aut accelerationem secuto effectu sic: 1. Judex Sententians mortem, mutillationem 2 Assessores publica authoritate concurrentes. 3 Notarius 4 Accusatores 5 Testes 6 Advocatus 7 Omnes Ministri Justitiæ 8 Et qui in Bello etiam justo quempiam manu propria occidit vel mutilavit.

Ex defectu ætatis legitimæ Qui necdum habent legitimam ætatem ad suscipiendos ordines per Canones taxatam. Hæc impedit a susceptione & in susceptis ab executione, sed completa ætate sine dispensatione cessat.

Ex defectu bonæ famæ Quæ non propria culpa sed propter vilem statum & conditionem vitæ contrahitur vel ex exercitio artium & Officiorum infamium habetur, ut Histriones, Mimmi, Cæmedi, Filii publicæ Meretricis, omnes in Scena ludentes, aleatores publici, aurigæ, gladiatores, Cytharedi Lyristæ Saltatores, Caupones, Macellarii, Satellites, cloacas emundantes, pelles purgantes.

Ex Delicto.

Irregulares sunt Hæretici & Apostatæ a fide, eorum Fautores, receptores, Defensores & eorum filii

usque ad secundam generationem ratione patris ; & ad primam ratione Hæresis Matris, nisi Parentes ante mortem abjuraverint Hæresim. presertim ubi Hæreses non tolerantur.

Ex Delicto Iterationis Baptismi Hinc scienter Rebaptisatus rebaptisans & qui rebaptisanti inservit item qui sine necessitate permittit se baptisari ab Hæretico, sunt irregulares.

Ex delicto indebitæ susceptionis. ordinum 1. Furtive sine licentia proprii Episcopi 2 Non vocati. non examinati. 3 Aliqua censura innodate 4. Per saltum 5 ab Episcopo excommunicato suspenso interdicto, Hæretico, denuntiato, Sichmatico seu non habente jurisdictionem 6 Conjugati præsumentes suscipere ordinem sacrum etiam nondum consumato Matrimonio fiunt irregulares.

Ex delicto executionis ordinum quos non habent ut Subdiaconi, solemniter Baptisantes, Diaconi celebrantes Item non Sacerdotes celebrantes & ab solventes, Non Sacerdotes benedicentes sponsis sunt irregulares.

Ex delicto Homicidii & mutilationis Culpabiliter & injuste commissi, sive Physicæ sive Moraliter. Item ex Homicidio causali culpabili quod contingit quando quis necem licet non intenderit, nec secuturam præviderit, sed tamen vel prævidere potuit vel debitam diligentiam non adhibuit, vel dedit operam rei illicitæ & periculosæ, ex qua mors præter intentionem secuta est. Ast si absque culpa sequatur mors, vel mutilatio non incurritur irregularitas. sicut occidens in necessariam suæ vitæ conservationem cum moderamine inculpatæ tutellæ juxta multos non fit irregularis tamen judicio Benedicti XIV. ad cautelam debet dispensari ad munia Ecclesiastica.

Tollitur Irregularitas quatuor modis.

Primo per cessationem vel ablationem causæ, ut cessante defectu corporis, ætatis, factis rationibus ab obligato ad Raticcinia tollitur irregularitas.

Secundo per susceptionem Baptismi.

Tertio Per professionem Religiosam tollitur irregularitas ex defectu ad suscipiendos ordines non tamen ad Prælaturas.

Quarto per Dispensationem Summi Pontificis qui in omnibus dispensare potest.

Episcopi cum suis ex delicto oculto, & ad Forum Contentiosum non deducto ex Trident: excipe Hæresim quam Bulla Cenæ Trident: derogavit in irregularitatibus etiam ex deffectu possunt dispensare ad ordines excepta Bigamia.

Capitulum Sede vacante eandem habet potestatem quam Episcopi per Tridentinum.

Prælati Regulares licet per Trident: non habent potestatem dispensandi sicut Episcopi, habent tamen per Concessionem Pii V. in constitutione Romani Pontificis Sixti IV. in omnibus irregularitatibus cum suis subditis.

Excepto homicidio voluntario, mutilatione & Bigamia.

Quinimo sunt qui plus Prælatis Regularibus concedunt quod hi quamvis vi concessionis Sixtinæ nequeunt dispensare cum suis Religiosis in irregularitate ex homicidio &c. Id tamen valent vi confessionis Pauli III *exponi nobis*: non quidem semper sed Die lunæ post Dominicam Quadragesimæ Primam, Generales Provinciales sive per se, sive per alios deputatos Superiores locales pro foro conscientiæ dispensare, etiam extra Sacramentum pænitentiæ in omnibus irregularitatibus ex delicto etiam publico; puta Homicidio, mutilatione, Bigamia violatione censurarum ob indefinitam concessionem ejusdem Pauli III. Benedictinis Vallesolitanis in quo Privilegio mendicantes participare videntur sed P. Giraldi Schol: Piar: in annot: ad Maschald: demonstrat Decretum Congregationis Concilii quo dictum fuit privilegium hoc minime communicari.

Securius facient Prælati Regulares si in irregu-

laritatibus ex homicidio, mutilatione, Bigamia non dispensabunt, sed recurrent ad sanctam Sedem.

Caveant præterea ut Mathæucius monet tam ampla Privilegia ad praxim defacili deducere & dispensare cum fatuis, amæntibus, furiosis, Epilepticis, lunaticis, energumenis leprosis, gibbosis, claudis, morbo Gallico laborantibus, manus tremulas habentibus atque ex defectu natalium, quæ irregularitas quamvis tollitur per professionem ad Ordines, non tamen ad Prælaturas.

Optimum foret si Regulares Ordines irregularitate innodatos, sibi non unirent, atque introductam lege Ecclesiastica irregularitatem abhorrent cum enim hæc ex lege veteri ob Naturalem indecentiam trahitur, proinde in statu perfectiori Religionis digni & Mundi corpore & animo eligendi sint Ministri Altaris.

AD M. D. GLORIAM.



Pag:	Vers:	Lege	Corrige
8	V. 7	Petieretur:	Petitur
33	V. 24	Ægromater Familias	ægrotis, mater familias
41	V 36	*adddndum*	formaliter & imperativè
48	V. 3	tot'us	totus
Ibid:	V. *ult:*	*addendvm*	& volatilibus
58	V. 29	quemlibet	quam habet
62	V. 16	Lucem	Legem
Ibid:	V. 26	gravitatem	Levitatem
63	V. 7	practicæ	practicè
Ibid:	V. 8	erroneæ	erroneè
88	V. 12	quislibet	cujuslibet
93	V. 2	Ubi	Cibi
Ibid:	V. 26	Orationis	Oratoriis
98	V. 18	perfuta	perfecta
107	V. 8	retrahendi	rehabendi

INDEX

RERUM.



6

85